NORMANNIÆ
NOVA CHRONICA

AB ANNO CHRISTI CCCCLXXIII AD ANNUM MCCCLXXVIII

E TRIBUS CHRONICIS MSS.

SANCTI LAUDI, SANCTÆ CATHARINÆ

ET MAJORIS ECCLESIÆ ROTOMAGENSIUM

COLLECTA

NORMANNIÆ
NOVA CHRONICA

AB ANNO CHRISTI CCCCLXXIII AD ANNUM MCCCLXXVIII

E TRIBUS CHRONICIS MSS.

SANCTI LAUDI, SANCTÆ CATHARINÆ

ET MAJORIS ECCLESIÆ ROTOMAGENSIUM

COLLECTA

Nunc primum edidit e ms. codice Bibliothecæ publicæ Rotomagensis

A. CHÉRUEL

Scholæ Normalis alumnus olim, nunc in eadem Schola Historiæ professor

CADOMI

APUD TYPOGRAPHUM, BIBLIOPOLAM A. HARDEL

VIA FRIGIDA, 2

MDCCCL.

NOTA. In partem laboris quantulamlibet venimus libenter, vocante imo jubente amicissimo Editore, et Ego qui infra subscribo et unus inter doctissimos Chartarum Scholæ alumnos, Leopoldus Delisle. Ut vero propria cujusque dignoscas, Lector, quæ sunt Editoris, scilicet fere omnia, indicio designantur nullo; quæ vel Leopoldi Delisle, vel mea, nostris utriusque majusculis denotantur. Te etiam monitum volo, libri typis exprimendi operam in me totam incumbere, ut quidquid in hoc desiderandum erit, mihi uni, quod decet, imputes.

A. CHARMA.

PROOEMIUM (1).

Neminem fugit quæ fuerit Normannia, quot regiones victricibus emensa armis, et postremo quanta pars Galliæ ab eo tempore, quo Philippus Augustus Normannos sui juris fecit. Quippe quæ, vel exeunte sæculo XVmo., quum jam, provinciis plerisque debellatis, Franciæ regnum in majus augeretur, maximam vectigalium partem totius regni ærario conferret (2). Quanto magis pollebat, quum, nondum alienum jugum passa, longe lateque dominaretur, et, ut coætanei cujusdam verbis utar (3), « possideret Apuliam, devicisset Siciliam, propugnaret Constantinopolim, ingereret metum Babyloni, et Anglica terra tota se Normannorum pedibus læta prosterneret. » Cum XIIImo. et XIVmo. sæculis, quibus primum a Gallis Neustria fuit debellata regnoque coadunata, disjecta Galliæ membra nondum ex uno capite pendere et uni reddi formæ viderentur, necesse est, si istorum temporum historiam scrutari volueris, diutius provinciarum annalibus incumbere. Inter quos Normannici primas tenent, seu regionis ubertatem et commercii divitias, seu rerum seriem respexeris. Operæ igitur pretium est vel tenuissima e mss. codicibus depro-

(1) Procemium quod tibi, Lector, prima fronte occurrit, et annotationes passim libro insertas latina lingua expresserunt tum editor, tum quos sibi consociavit amici, in eo doctissimum De Bréquigny sequentes, qui alicubi (Videsis Champollion-Figeac, *Lettres de Rois, Reines et autres personnages des cours de France et d'Angleterre depuis Louis VII jusqu'à Henri IV, tirées des Archives de Londres par Bréquigny*, Imprimerie royale, Paris MDCCCXXXIX, t. I, p. XXVI) scripsit hocce : « Ces notes sont écrites en latin ; car ce serait une bigarrure peu convenable que de placer sous un texte latin des notes françaises. D'ailleurs l'usage du recueil projeté ne peut être borné à la France seule et on doit s'y servir par préférence d'une langue familière à tous les savants de l'Europe. C'est par cette raison que je crois qu'il faudra aussi employer cette langue, tant dans les préfaces que dans les tables de chaque volume ». Quod apud nos non obsolevit omnino, siquidem et nunc vir plurimis nominibus insignis, Victor Cousin, in edendis P. Abælardi operibus haud aliter procedat. A. CH.

(2) Comines, liv. I, ch. 13, p. 147, édit. Petitot.

(3) Guillelmus Pictaviensis, apud *Scriptores rerum Normannicarum*, ed. Duchesne, p. 207.

mere, quum ad talem historiam pertinent, nec ridendus est ille qui monachorum insudat chronicis, ut pauca ex informi congerie sumat illustranda. Ne longum faciam, totam procemii materiem duabus partibus dividam; priori parte, inquiram quænam sit nostrorum chronicorum origo et quid novi Normannicæ historiæ afferant; posteriori vero, quid præsertim in istis annalibus desideretur et obiter quid sit imprimis ex Normannica historia colligendum.

PARS PRIOR.

QUÆ SIT ISTORUM CHRONICORUM ORIGO ET QUID NOVI NORMANNICÆ HISTORIÆ AFFERANT.

§ 1. — *Quæ sit istorum Chronicorum origo.*

Chronica, quæ publici juris facio, prodeunt e ms. codice Bibliothecæ publicæ Rotomagi (1), cui titulus: *Chronicon triplex et unum* (2). Tria, ut fert titulus, chronica continet in unum collecta, chronicon scilicet Ecclesiæ Majoris Rotomagi, tum annales collegii canonicorum Sancti Laudi Rotomagensis, postremo chronicon Sanctæ Catharinæ aut Sanctæ Trinitatis de Monte juxta Rotomagum. De quibus singulis pauca præmittenda mihi videntur.

Chronicon Majoris Ecclesiæ Rotomagensis a primis Christi temporibus ad annum 1382 temporum seriem evolvit. Benedictinis Normannicorum annalium scriptoribus innotuit, ut testatur *Gallia Christiana* (3); imo, Mabillonius, in *Veteribus analectis* (4), quidquid ad Rotomagenses archiepiscopos pertinet usque ad XII^mum^. sæculum inde excerpsit et edendum curavit, istudque chronicon asserit tempore Gregorii VII scriptum fuisse (5). « Præmissa pontificum Rotomagensium acta litteris mandavit anonymus cœnobii Sancti Audoeni ejusdem urbis monachus, ad cujus autographum hæc editio exacta est. Vixit is Gregorio VII pontifice, Johanne archie-

(1) De modo scribendi nomen *Rotomagi* plurimi disseruerunt; nec hic locus est requirendi utrum *th* vel *t* melius adhibeatur. Liceat tamen animadvertere *Rotomagum* a Romanis semper scriptum fuisse, et a Ptolemæo Ρωτόμαγος. Nummis, quos Romani Rotomagi cuserunt, *Rutumagus* vel *Ratumagus* inscribitur. Apud recentiores, Henricus Valesius, Mabillonius in *Actis archiepiscoporum Rotomagensium*, Danvilla, Galliæ Christianæ doctissimi auctores, eadem scribendi ratione usi sunt. Media vero ætate, quum *michi*, *nichil*, *cohercere*, et alia hujus modi scriberentur, nostræ urbis nomen corruptum est. Hæc argumenta invenies in Commentario viri doctissimi, Aug. Le Prevost, quod in Archivis Academiæ Rotomagensis ms. asservatur.— Sic, ut illis ab Editore allatis addam inter multa alia unum, *Timæus* Platonicus sæpissime in mss. codicibus, imo et in impressis (Vid. *P. Abælardi opera*, ed. F. d'Amboise, Paris, 1616, in-4°., p. 1007) *Thimæus* describitur. A. CH.

(2) Ms. codex catalogo inscriptus est sub numero $\frac{16}{14}$ U.

(3) *Gallia Christiana*, t. XI, p. 28 et sqq.

(4) Cf. *Acta Rotomagensium archiepiscoporum*, in *Veteribus analectis*, p. 222 et sqq.

(5) *Ibidem*, p. 226.

piscopo Rotomagensi, abbate monasterii Sancti Audoeni Nicolao; non alius forsan quam Fulbertus ejusdem loci cœnobita, qui librum de miraculis Sancti Audoeni eidem Nicolao abbati nuncupavit; aut Theodoricus, a quo Sancti Audoeni vita metrice Nicolao itidem scripta est. » Posteriorem istius chronici partem pene integram Labbæus publici juris fecit, in *Bibliotheca nova manuscriptorum* (1), sub titulo *Chronici Rotomagensis*, sed tot mendis corruptam, ut nonnulla iterum edenda censuerim. Verisimile est Chronicon Majoris Ecclesiæ, non uno tenore scriptum fuisse, sed paulatim, quum alius alium exciperet; a quibus autem clericis vel quo tempore fuerit exarata pars ista posterior, me penitus fugit.

Nec magis compertum habeo auctorem *Chronici Sancti Laudi;* sed nusquam vulgatos reperi istos annales. Erat autem Rotomagi quoddam collegium canonicorum, qui e Constantiensis episcopi jure pendebant; quo tempore Normanni pagani per Constantiensem pagum sæviebant, canonici Sancti Laudi ad Rotomagum confugerunt; postea vero in eadem urbe permansit istorum canonicorum collegium, quos vitæ communi, XIImo. sæculo, submissos fuisse in nostris Chronicis invenies (2). Ex eo collegio prodiit *Chronicon Sancti Laudi.*

Chronicon vero Sanctæ Catharinæ longe duobus aliis locupletius est. Scriptum fuit in monasterio Sanctæ Trinitatis de Monte juxta Rotomagum, cujus origo in nostris Chronicis fusius narratur (3). A Goscelino, vicecomite Rotomagi, fundatum est istud cœnobium, et a Simone de Monte Sinai plurimis reliquiis donatum (4). Hinc prodierunt doctissimi theologi, inter quos eminent Isembertus, Ainardus et Durandus Troarnensis (5). Nihil igitur mirum, si monachus quidam conventus illius res scriptis mandaverit, et quidquid majoris momenti apud Normannos vel in orbe universo adveniret suis annalibus inseruerit. Quod si vero istius Chronici ætatem et auctorem requiramus, verisimile est partim ante XIIImum. sæculum scriptum fuisse. Quum enim de Nicolao, Sancti Audoeni abbate, agitur, narrat eum ignotus auctor ecclesiam ædificavisse « magnitudine et venustate præclaram (6); » istæ ædes, quas stantes adhuc scriptor admirabatur, igni prædæ fuerunt XIIImo. sæculo (1248) (7); unde constat priorem Chronici Sanctæ Catharinæ partem ante XIIImum. sæculum, vel saltem ineunte XIIIo. sæculo, absolutam fuisse. Quod ad posteriorem attinet, XIVmo. sæculo exarata est. In quodam enim istius Chronici loco legitur: « Noverint omnes « monachi præsentes et futuri in monasterio Sanctæ Trinitatis Sanctæque Katarinæ « commorantes quatenus de tempore præterito usque ad *istum annum præsentem*,

(1) Labbæus, *Nova Bibliotheca manuscriptorum*, t. I, p. 364 et sqq.

(2) Cf. *Normanniæ nova Chronica*, ad ann. 1146.

(3) *Ibid.*, ad ann. 1031.

(4) *Ibid.*, ad ann. 1031. — Cf. Rod. Glabrum, ap. *Scriptores rerum Gallicarum*, X, 10.

(5) *Norm. nova Chron.*, ad ann. 1031.

(6) *Ibid.*, ad ann. 1031.

(7) *Ibid.*, ad ann. 1248.

« qui talis est annus MCCCXLV (1), etc. » Res igitur gestas in Sanctæ Catharinæ monasterio, imo et in tota Normannia peneque universo orbe a XII^mo^. sæculo ad XIV^mum^., narratas a coætaneis scriptoribus habes. Qui fuerint auctores non satis constat; quum autem, XIV^mo^. sæculo, monachus Sanctæ Catharinæ, nomine Forestarius, abbatum facta versibus celebraret (2), non absurdum videbitur istius Chronici posteriorem partem a fratre Willelmo scriptam asserere, eo magis quod varia recitans annalium scriptor cartam inseruit ad eumdem Forestarium pertinentem, ut forsan suum nomen posteris traderet. Ut ut sit, Chronicon Sanctæ Catharinæ penitus ineditum reor, et maximi momenti esse ad res Normannicas illustrandas (3).

Tria autem disjecta Chronica scriptor ignotus, sed haud dubio Rotomagensis, in unum collegit anno MDXLVI, ut e multis nostrorum Chronicorum locis videre est. Cum enim XI^mi^. sæculi calamitates et populares motus narrant Chronica, subito in regios magistratus invehitur collector ignotus et notulis in margine adscriptis urbis præfectos objurgat (4) ob immania vectigalia, quibus populus Rotomagensis XVI^mo^. sæculo gravabatur. Collectum vero Chronicon triplex et unum in Algiana bibliotheca sepultum jacebat, quum XVII^mo^. sæculo quidam Rotomagensis, rerum Normannicarum curiosus indagator, codicem transcripsit ut typis mandaretur. Vir eo tempore in Neustria clarissimus, Antonius de Mareste, Eques, Dom. de Algia, regi a secretioribus consiliis, et in suprema subsidiorum Normanniæ curia advocatus generalis, pecuniam suis expensis erogandam curaverat; jamque, ipso auspicante, Triplex Chronicon in lucem emittendum erat, ut e sequenti proloquio apparet quo Domino de Mareste editor futurus gratulatur (5) : « Agnosce quod tuum « est, vir clarissime; tuum enim merito dici debet, quantumvis alieno labore « factum, quod quum tui juris esset, publici ad communem provinciæ utilitatem esse « voluisti. Nec sub aliis auspiciis quam tuis prodire debuit, quod ex numerosa « illa tua bibliotheca productum non alios lares quam tuos agnoscit. Facerent utinam simile, quotquot intra extrave provinciam clerici laicique antiqua majo- « rum nostrorum monumenta, nullis, ni forte muribus tineisque, profutura, apud « se detinent. Elucesceret quandoque Nortmannorum historia, et quos ferocitate « decantant historiæ, contrario pietate, charitate ac religione mirabiles, dissipante « malignas immeriti livoris tenebras veritate, venerarentur. Fruantur interim hocce « Chronico, quos egregia majorum suorum memoria delectat, tibique justa remu- « neratione felicia omnia tam in hoc sæculo quam post hanc vitam apud Deum « felicitatis totius originem precentur. Vale. » Scribebat iste Normannicæ laudis ignotus assertor anno MDCLIV. Quibus vero causis Chronica jam parata typis non

(1) *Norm. nova Chron.*, ad ann. 1348.
(2) Cf. *Librum metricum* ad calcem *Normanniæ novorum Chronicorum.*
(3) Cf. *Norm. nova Chron.*, ad ann. 1311.
(4) *Ibid.*, ad ann. 1098 et ad ann. 1344 et 1345.
(5) *Chronicon triplex et unum*, Ms. f°. 3-4.

mandata sint nec comperi nec magni referre existimo. Ex Algiana bibliotheca ms. codex in Sancti Audoeni librariam devenit, et, suppresso monasterio, in publicam Rotomagi bibliothecam collatus est. Nunc, favente *Normanniæ Antiquariorum Societate*, inedita Chronica publici juris facere mihi datum est.

Ad calcem ejusdem ms. codicis librum metricum reperi de Sanctæ Catharinæ abbatibus, quod edendum censui. Fugit enim Dom. Pomerayum, monachum congregationis Sancti Mauri in cœnobio Sancti Audoeni, qui peculiarem monasterii Sanctæ Catharinæ historiam scripsit (1). Innotuit quidem Galliæ Christianæ auctoribus Chronicon metricum, sed pauca tantum inde excerpserunt, alioque codice usi sunt, ut ex lectionum varietate comperitur.

Mihi vero *Normanniæ nova Chronica* edenti non abs re visum est antiquissimum rerum Normannicarum scriptorem, Dudonem scilicet Sancti Quintini, ad fidem manuscriptorum recensere. Varias lectiones, quas edidi, e duobus mss. deprompsi. Codex A, olim Gemeticensis, nunc Rotomagensis Bibliothecæ publicæ, sub n°. Y $\frac{1}{1}$, XI°. sæculo exaratus est; codex B, Bibliothecæ publicæ Rotomagensis, in margine notulas habet, quas scriptoribus rerum Normannicarum ab Andrea Duchesne editis adscripserat vir doctissimus, Domnus Bessin, e congregatione Sancti Mauri, quum Dudonis Chronicon emendatum typis iterum mandare in proposito haberet (2). Mihi prorsus quantulacumque colligenti exemplo fuerunt Benedictini, qui Gallicarum rerum scriptores ediderunt; quum enim VIII°. et X°. voluminibus adulteratos Guillelmi Gemeticensis annales, ex editione Andreæ Duchesne prelo mandassent, tomo XI°. corrigendos curaverunt et varietate lectionum illustrandos (3).

§ 2. — *Quid novi in istis Chronicis inveniatur.*

Nostra Chronica non, ut quædam medio ævo scripta, res ab origine mundi repetunt, sed tantum a primis Christi temporibus. Usque ad XI^{mum}. sæculum parvi facienda sunt, ut pote quæ hinc inde collecta sint et plerumque ad verbum transcripta. Quæ ad Normanniam pertinent habes pleraque in Fontanellensi Chronico apud Dacherium (4) vel in actis archiepiscoporum Rotomagensium a Mabillonio editis (5); quidquid autem ad historiam universi orbis refertur in Chronicis Sigeberti Gemblacensis (6) vel Roberti de Monte (7) invenies. Pauca tantum e mss.

(1) Historiam monasterii Sanctæ Catharinæ invenies ad calcem operis Pomerayi *De Sancti Audoeni cœnobio Rotomagensi.*

(2) *Hist. littéraire de la Congrégation de St.-Maur*, p. 481.

(3) *Scriptores rerum Gallicarum*, XI, p. 620 et sqq.

(4) In Dachery, *Spicilegium*, in-f., t. II, p. 263 et sqq.

(5) *Vetera analecta*, in-f., p. 222 et sqq.

(6) *Chronicon* Sigeberti Gemblacensis nuperrime inter *Scriptores rerum Germanicarum* editum est, t. VIII, p. 268 et sqq.

(7) Roberti de Monte *Chronicon* ad calcem Guiberti Novigentensis edidit Dachery; recentius et integrius editum invenies inter *Script. rer. Germanic.*, t. I., p. 475 et sqq.

codice excerpsi quæ nusquam edita reor; pleraque ad vetustissimos Rotomagi archiepiscopos, ut Gildardum, Prætextatum, Audoenum pertinent (1).

Jam vero ad istam pergo Chronicorum partem, quam majoris faciendam arbitror, et ex qua, ni fallor, nonnihil novi eruent futuri Normanniæ historici. Ut vero susceptum opus facilius peragam, nova Chronica cum antiquis conferenda censeo. Quinque præcipui sunt Normannicarum rerum scriptores, Dudo scilicet Sancti Quintini, qui Xᵐᵒ. sæculo florebat, Guillelmus Pictaviensis, Guillelmus Calculus seu Gemeticensis, uterque XIᵐᵒ sæculo, Ordericus Vitalis et demum Robertus de Monte, qui ambo XIIᵐⁱ. sæculi res præcipue narraverunt. Addenda sunt minora Chronica, Rotomagense scilicet a Labbæo editum, et nonnulla alia quæ apud Andream Duchesne habes, postremo Normanniæ Chronicon vernaculo sermone scriptum. Supra laudatis scriptoribus facile addiderim, qui res a Normannis in Apulia, Sicilia, Anglia et in Orientis partibus gestas memoriæ tradiderunt, sed non proferendum arbitror campum ad quem metiendum vix nostræ vires sufficient. Nec magis inter Normanniæ historicos referendos censeo poetas istos, qui nostros annales rhythmico more narraverunt, vetera Chronica pene ad verbum exprimentes.

Dudo Sancti Quintini Decanus, quem Normannicæ historiæ patrem haud immerito dixerim, non semper eadem trutina pensatus est. Benedictini non eum dignum duxerunt cujus excerpta inter Gallicæ historiæ monumenta insererent. « Dudonem « exscribere superfluum duximus, ut pote qui sit verbosior et duas semper paginas « insumat in narrandis iis, quæ intra duas phrases concludit Guillelmus (Gemeticensis) (2). » Gerard. Joann. Vossius non melius Dudonem habet. « Res, inquit (3), « in Galliis a Normannis gestas consignavit usque ad annum 996, poetica magis quam « historica fide. » Nostrates vero Dudonem aliter, et, me saltem judice, rectius æstimaverunt. Ante omnes illum referam historicum, quo scribente vera grandisque temporum imago apparet, seu Normannos undis spumantibus illudentes depingat, seu Haroldum Saxonesque campis Hastingarum devictos; non is est qui Dudonem penitus omittat, sed hinc inde sprirantem barbariem ex informi congerie, ut ignem venis silicis abstrusum, excussit (4). Liceat quoque isto niti historico, qui res philosophica magis quam poetica ratione æstimans eo majore pollet auctoritate (5). Benedictinis Gallicarum litterarum historiam scribentibus et Dudonem male habentibus opponendus videtur doctissimus auctor et acutissimæ mentis qui Dudonem,

(1) Vid. *Normanniæ nova Chronica,* ad annos 473, 534, 640. Quæ ad Rotomagenses archiepiscopos pertinent non semper ad historicam fidem scripta sunt; sed quanta auctoritate tunc viguerint episcopi testantur.

(2) *Scriptores rerum Gallicarum*, t. VIII, Præfatio, p. xxiv.

(3) *De historicis latinis*, Lugduni Batavorum, 1651, p. 356.

(4) Augustin Thierry, *Histoire de la conquête de l'Angleterre par les Normands*, liv. II, ann. 898 à 912.

(5) Guizot, *Collection des documents sur l'histoire de France*, traduction de Guillaume de Jumièges, Préface.

ut barbarorum temporum fidissimum testem, majoris fecit (1). Quid plura? Teutonicus vir, qui diutius medii ævi historiæ incubuit, Dudonis historiam asserit Normannicarum rerum præcipuum fontem (2); ex illo enim hauserunt et Guillelmus Gemeticensis, ut ipse fatetur (3), et cæteri historici vel poetæ qui prima Normannorum fata narraverunt. Nec prorsus inficior Dudonis prolixum sermonem sæpius tædio esse inconditumque dicendi genus et plurimas fabellas veris immixtas; malo quoque Dudoni vertit, quod semel et pessime ab Andrea Duchesne editus est. Quod ad nostra Chronica pertinet, perpauca Dudonis historiæ addunt, miracula scilicet, quibus Danorum plebs ad Christi fidem conversa est (4), et nonnulla de Roberto Rotomagi archiepiscopo (5).

Res Normannicas, XII°. sæculo, Guillelmus Gemeticensis et Guillelmus Pictaviensis uberrime retulerunt; nonnulla tamen omiserunt quæ in nostris Chronicis videre est. Neuter, verbi gratia, narrat Rotomagenses duci Roberto infensos, ut pote qui Richardum fratrem veneno necasse insimularetur, ei portas urbis occlusisse; tum Goscelinum, Rotomagi vicecomitem, motos composuisse animos et Rotomagenses duci conciliavisse. Plurima de Isemberti monachi doctrina, musices et liberalium artium peritissimi, in istis Chronicis invenies; quot quantique viri, pro tempore doctissimi, ex ejus disciplina evaserint, ut Ainardus, Durandus Troarnensis et nonnulli alii, qui fere omnes Normanniæ cœnobiis præfuerunt literarumque foverunt studium (6).

Liceat hic paulatim immorari, ut, duce Sanctæ Catharinæ Chronico, quantus fuerit eo tempore in Normannia et præsertim Rotomagi liberalium artium cultus melius appareat. XI^mo^. sæculo, Normanniam constat adeo monasteriis frequentem fuisse, ut coætaneus quidam, Guillelmus Pictaviensis, eam non immerito *alteram Thebaidem* dixerit (7), quumque in cœnobiis hujus ætatis liberales artes præcipue vel potius unice colerentur, errant, me saltem judice, qui putant Rotomagenses, apud quos plurima florebant cœnobia, adeo commerciis deditos fuisse ut literarum studia penitus omiserint. Non equidem abnuendum reor Rotomagum, vel ab eo tempore, præcipue commercio opibusque viguisse. Ineunte enim XI^mo^. sæculo, et priusquam Guillelmus Anglia potiretur, Rotomagi mercatores maximis juribus Londini et in tota Anglia fruebantur, ut ex veteri carta comperimus quæ in archivis urbis Roto-

(1) J.-J. Ampère, *Histoire littéraire de la France avant le XIIe. siècle*, t. III, p. 420-422.

(2) Fred. von Raumer, *Handbuch merkwürdiger Stellen aus den Lateinischen Geschichtschreibern des Mittelalters*, Breslau, 1813, p. 85.

(3) « Principium narrationis usque ad Richardum II a Dudonis periti viri historia collegi; qui quod posteris propagandum chartæ commendavit a Rodolpho comite, primi Richardi fratre, diligenter exquisivit ». *Historiæ Norm. scriptores*, p. 215.

(4) Cf. *Normanniæ nova Chronica* ad ann. 972.

(5) *Ibid.*, ann. 989.

(6) *Ibid.*, ad ann. 1031.

(7) Ap. *Script. rer. Gallic.*, t. XI, p. 89.

magensis servatur (1); ab Edwardi confessore concessa confirmat, quæ sic se habent : « Homines Rotomagi, qui de ghilda sunt mercatorum sint quieti de omni « consuetudine apud Londonium, nisi de vino et de crasso pisce. Liceat eis ire cum « mercibus suis per omnes nundinas Angliæ, salvis legalibus consuetudinibus regis. » Solis Rotomagensibus, ut ex eadem carta comperitur, naves in Hiberniam mittere licebat, excepta una quæ quotannis de Cæsarisburgo proficiscebatur. Quid memorem Ordericum Vitalem (2), Guillelmum Neubringensem (3) aliosque scriptores de Rotomagensium opibus magnifice locutos? Aliud nunc in propositis habeo, quod, ni fallor, nostris Chronicis comprobatur; Rotomagenses scilicet liberalibus studiis favisse. In vetustissimis Rotomagi conciliis præcipitur ut omnes pueri ad scholas mittantur (4), adeoque vigebat Sancti Audoeni scholaris disciplina, ut, vel XVI^{mo}. sæculo, quum jam monachorum scholæ in pejus ruerent, quingentos discipulos vel amplius scholarum locus caperet (5). Nec minore fama inclaruit Sanctæ Catharinæ cœnobium; quibus addendæ essent scholæ Majoris Ecclesiæ et Sancti Candidi Senioris. Quin imo, civitas ipsa, ut comperimus e plurimis medii ævi chartis, opem ferebat Rotomagensibus doctoris gradum affectantibus (6). Quod si ad plebeculam respexeris, cui nec res nec tempus suppeditabat ut mentem scholarum doctrina imbueret, ipsi sub oculis erant ista templa quæ non immerito nostra ætas miratur quibusque inter omnes civitates urbs Rotomagensis eminet; hic unoquoque solemni festo mysteria peragebantur, ut oculis auribusque plebs perciperet quidquid mente venerabatur animique ad cœlestia conversi non semper terrestribus inhærerent. Quum Christum nascentem adorarent, præsepe videre erat pastoresque concurrentes (7); tum Magi, stella duce, Bethleem petebant (8); illinc ad Sanctum

(8) Archiv. urbis Rotom., n°. IX, 1.

(2) « Rodomensis civitas populis est et negotiorum commerciis opulentissima, portus quoque confluentia ». Ordericus Vitalis, ap. *Script. rer. Gallic.*, t. XI, p. 345.

(3) « Est autem Rothomagum una ex clarissimis Europæ civitatibus, sita super Sequanam, fluvium maximum, per quem eidem civitati multarum regionum commercia invehuntur ». Guill. Neubring., ap. *Script. rer. Gallic.*, t. XIII, p. 116.

(4) *Concilia Rotomagensis provinciæ*, ed. D. Bessin, pars prior, p. 37.

(5) Archiv. urbis Rotomagensis, T. $\frac{A}{38}$, f°. 186 verso.

(6) Archiv. urbis Rotomagensis, *Registre des délibérations de 1404 à 1408*, f°. 150 verso : « Le IIIIe. jour de juillet mil CCCC et huit, devant nous, etc. Deliberé fu que frere Jehan Gourrel, Cordelier de l'ostel des Cordelliers en la dicte ville, natif d'icelle ville de Rouen, lequel doit faire la feste d'estre doctorisé en theologie, lui seroit donné, *ainsi que l'en a acoustumé aux natifs d'icelle ville*, pour lui aidier a faire son dit fait, quarante livres, et soit fait mandement au receveur. »

(7) Cf. Ducange, voce *Pastores;* non integrum edidit *Pastorum officium;* plura invenies in vetustissimo Majoris Rotomagi Ecclesiæ *Ordinario,* quod servatur inter mss. codices Bibl. publ. Rotom., n°. Y $\frac{4}{29}$. — Ex quo illa a doctissimo Editore scripta sunt, *Theatri liturgici quæ latina superstant monumenta edita recensuit, inedita vulgavit, adnotationibus illustravit* Édélestand Du Méril, in-8°. Paris, Franck, 1849; in quo volumine, ad pag. 147, *Officium pastorum* habes eruditione plusquam gallica illustratum. A. CH.

(8) Cf. Johannis Abrincensis episcopi librum *De officiis ecclesiasticis;* inter Additamenta, Johannes Prevotius *Officium stellæ* edidit, p. 206. — Cf. Édélestand Du Méril, in libro supra laudato, p. 153. A. CH.

Sepulcrum conveniebant mulieres (1); necnon et in Sancti Joannis Baptistæ festo pueri primas agebant, imo archiepiscopi vicibus puer quidam fungebatur (2). Pentecostes die, fingebant Spiritum Sanctum e cœlis advenire, stupis ardentibus e superiori parte sacrarum ædium demissis; in eodem festo, aves emittebantur, ut intelligerent Christianorum animas tandem vinculis liberatas ad cælestia tendere (3). Non igitur negandum videtur Rotomagenses eo tempore cum scholasticæ disciplinæ, tum divinis ritibus deditos fuisse; quod a plerisque Normanniæ historicis omissum desidero, et ex nostris Chronicis melius compertum arbitror.

Nec minus in aliis Normanniæ locis vigebat scholarum et vitæ monasticæ studium. Jampridem liberalium artium cultu florebat Sancti Wandregisilii seu Fontanellæ monasterium, in quo academiam, ut dicebant, institutam fuisse ab abbate Gervoldo et unde plurimos doctores prodiisse narrat Dom. Alexius Breard, qui, XVII[mo]. sæculo, compendium historiæ sui cœnobii scripsit (4). Quum ineditum sit opus, non abs re erit pauca de Sancti Wandregisilii scholis exscribere et quæ fuerit XI[mo]. sæculo istius cœnobii doctrina ostendere. De Gervoldo sic fatur Dom. Breard (5): « Memor illorum Sancti Ansberti temporum (quibus florebat in Fontanella non « solum observantia regularis, sed tanta etiam literatura, ut pene nullos monachos « Fontanella doctores non haberet; cujus rei fidem facit certissimam Jonas, hujus « primævæ academiæ gloria, qui in Vita Sancti Vulfranni (6) dicit tam sanctum ar- « chiepiscopum venisse ad Ansbertum, Fontanellæ abbatem, a quo acciperet sui « apostolatus Frisiani et cooperatores et doctores), Memor, inquam, illorum tem- « porum Sanctus Gervoldus (*vel* Gerboldus), decimus quintus Fontanellæ abbas (7), « sua in abbatia instituit academiam, in qua monachi non solum cantum, sed et « literas docerentur. Ipse, multis imbutus literis et pollens suavi et facta ad nu- « meros voce, primus fuit professor. A restauratione Fontanellæ per Mainardum (8),

(1) Cf. in Joh. Abrinc. libro Additamenta, p. 211.—Sex edidit diversis in locis celebrata *Sepulchri officia* Éd. Du Méril, l. l., p. 91—107, inter quæ et istud quod Rotomagensis Ecclesia decantabat. A. CH.

(2) Cf. in Joh. Abrinc. libro Additamenta, p. 202.

(3) *Ordinarium* ms. Bibl. Rot. Y $\frac{48}{29}$: « Projicientur per familiares thesaurarii existentes in deambulatoriis inferioribus turris ante crucifixum, scilicet inferius et quum poterunt infra chorum, folia quercuum, nebulas et stupas ardentes in magna quantitate, et a *Gloria in Excelsis* emittent volare versus chorum aves, parvas et mediocres et non magnas, cum nebulis ligatas ad tibiam, in competenti numero, et continuabunt præmissa usque ad offertorium missæ, nec cessabunt nisi dum dicitur Evangelium. »—Ubi legendum videtur sive « Projicient familiares », sive « nebulæ et stupæ ». A. CH.

(4) *Compendium historiæ regalis sanctæque Fontanellæ*, auctore Dom. Alex. Breard, presbytero et monacho Benedictino congregationis Sancti Mauri; absolutum anno 1685. Inter mss. codices Bibl. publ. Rotomagi, sub. n°. Y $\frac{116}{9}$.

(5) *Ibid.*, f°. 240—241.

(6) Ap. Bolland., t. III, p. 145.

(7) Florebat VIII°. sæculo.

(8) Anno 862.

« in Fontanella viguisse ad nostra usque tempora literarum amorem id unum est in-
« dicio satis claro, quod anno millesimo sexcentesimo trigesimo sexto (quum sumus
« ingressi Fontanellam) adhuc viseretur in ea claustri parte, quæ vitris protecta se-
« cundum navim Ecclesiæ est, cum quamplurimis humilibus ligneis sedibus sic su-
« blime suggestum doctoris, ut pedes docentis in cathedra responderent discipulorum
« capitibus. Vidi ego hæc egregia literaturæ monimenta. »

Vigebat XI^mo^. sæculo Sancti Wandregisilii schola, teste eodem Dom. Alex. Breard, qui Gerbertum abbatem, anno 1089 vita functum, his laudibus prosequitur: « Quantus fuerit noster Gerbertus clarius colliges ex his viris illustribus, qui, sub « ejus disciplina eruditi, assumpti sunt ad aliorum eruditionem: ex Gaufrido, Fon- « taneti abbate primo; ex Sancto Guntardo, Gemmetici rectore; ex Ingulfo, Cru- « landiæ cœnobiarcha; ex venerabili Galterio, tertio Sanctissimæ Trinitatis ad Roto- « magum patre, et ex venerabili Gaufrido, tertio archimandrita Sancti Petri de « Pratellis. »

Inter omnia hujus temporis monasteria emicuit Beccense cœnobium, quod præcipue Lanfranci ingenio nobilitatum tanta crevit fama, ut quasi doctrinæ sanctissimum fanum celebraretur. In nostris Chronicis, ut apud omnes coætaneos, Lanfranci encomium videre est (1). Non hic recitabo Normannos, qui Lanfranci laudes recitaverunt, ut Guillelmum Pictaviensem (2), Milonem Crispinum (3), Robertum de Monte (4), sed Angligenarum testimoniis major fides adhibenda est: qui omnes, coætanei saltem, Lanfrancum autumant « divinæ simul et humanæ legis peritis- « simum (5), Ecclesiæ Christi defensorem et pium totius Angliæ principem (6); « literatura perinsignem et liberales artes, quæ jamdudum sorduerant, a Latio in « Gallias vocantem (7). » Chronicon denique Saxonicum, quo præcipue Normannis infensi scriptores nituntur, Lanfrancum extollit « philosophum, cujus studio et « prius in Gallia et postmodum in Anglia multi ad divinum animati sunt obse- « quium (8). »

Quæ cum ita sint, mirandum videtur a recentissimis scriptoribus Lanfrancum durius, ne dicam iniquius, habitum fuisse. Parum quidem me movent Germani cujusdam, Liebneri nomine, crimina, qui Lanfrancum serviliter se gessisse asserit (9).

(1) Cf. *Normanniæ nova Chronica*, ad ann. 1042.

(2) Guillelmus Pictaviensis apud Andr. Duchesne, *Rerum Normannicarum Scriptores*, p. 194.

(3) Lanfranci *Opera*, ed. D. L. Dachery, p. 1 et sqq.—De Milone Crispino, *Ibid.*, p. 19.

(4) Robertus de Monte, ad calcem Guiberti Novig., ed. Dachery, p. 721, 723, 724, 728, 729, 730.

(5) Eadmeri *Historia novorum*, ad calcem D. Anselmi *Operum*, ed. Gerberon, p. 33.

(6) *Ibid.* — Plurima apud Eadmerum de Lanfranco invenies: « Misericordiæ visceribus plenus, modo huic, modo illi ultro offerebat »; p. 30—31. — « Monachos a sæculari vita, in qua illos invenit plus æquo versari, erexit, etc. » *Ibid.*

(7) Guillelmus Malmesburiensis ap. *Script. rer. Gallic.*, t. XI, p. 242.

(8) *Chronicon Saxonicum* ap. *Script. rer. Gall.*, t. XI, p. 216.

(9) De Hugone a Sancto Victore germanice scripsit Liebnerus; vide, ad. p. 170, Lanfrancum temere culpatum.

Sed tædet a gravissimo nostri temporis historico Lanfrancum non æqua mente æstimatum fuisse (1), et Matthæum Parisiensem tot coætaneis antehabitum fuisse. Sit dictum bona pace viri, quem nemo me majori cultu prosequitur, sed non ita ut verum posthabeam. Normannis, ut pote vincentibus, infensus, Anglicam ecclesiam a Lanfranco in melius mutatam flocci fecit. Nec tamen eum fugiebat quantis vitiis laboraret Anglicus clerus, ineunte XII^mo^. sæculo, ut testatur Angligena (2). « Clerici literatura tumultuaria contenti vix sacramentorum verba balbutiebant; stupori et miraculo erat cæteris qui grammaticam nosset. Monachi subtilibus indumentis et indifferenti genere ciborum regulam ludificabant. » Lanfrancus Angliæ monachos clericosque literarum studio morumque disciplina ad meliora erexit. « Religionis normam, ut ait idem Angligena (3), usquequaque emortuam « adventu suo suscitarunt (Normanni); videas ubique in villis ecclesias, in vicis et « urbibus monasteria novo ædificandi genere consurgere. » Liceat obiter notare Normannos, Italia devicta, hinc literarum studium, hinc doctrinæ duces, Lanfrancum Anselmumque, duxisse; non aliter, si conferenda sunt longe dissimilia, non aliter, ineunte XVI°. sæculo, Galli Italiæ victores literarum studium hinc hauserunt et artium magistros a victis acceperunt. Quid plura ? Lanfrancum non immerito collaudatum dixerim, quo auspice renascentes literæ Normanniæ Angliæque innotuerunt. « Hoc magistro, ait Ordericus Vitalis (4), Normanni literatoriam artem « perscrutati sunt.... Fama peritiæ illius in tota ubertim innotuit Europa, unde ad « magisterium ejus multi convenerunt de Francia, de Wasconia, de Britannia necne « de Flandria. » Non culpæ vertendum reor si de tali viro plura dixerim (5).

In nostris Chronicis habes quo anno fundata fuerint nonnulla monasteria, quorum origo frustra in *Gallia Christiana* requiritur, licet Dacherius, Mabillonius et alii doctissimi auctores de istorum cœnobiorum initio disseruerint (6). Hinc comperies quo pretio venum fuerit frumentum XII^mo^. sæculo (7). Nonnunquam medii ævi usus et mores describuntur, dona scilicet cultello sancita (8).

(1) Augustin Thierry, *Histoire de la conquête de l'Angleterre par les Normands*, liv. V, ann. 1071 et suiv.

(2) Guillelmus Malmesb. ap. *Anglicæ historiæ Scriptores*, ed. Savile, t. III, p. 57, recto et verso, Londini, 1596.

(3) Guillelmus Malmesb., lib. III, ed. Sav., p. 57 verso.

(4) Order. Vitalis, lib. IV.

(5) Cf. de Lanfranco næniam ap. Édélestand Du Méril, *Latina carmina*, in-8°. Paris, 1847, p. 251 et sqq.—Vix decet a me hic indicari quam scripsi *Lanfranci Biographiam*, inter *Societatis Normannicorum Antiquariorum opera*, t. XVII, p. 455—534, ubi plurima alia de viro eminentissimo collecta reperies. A. CH.

(6) Cf. *Normanniæ nova Chronica*, ad ann. 1043 et præsertim ad ann. 1050, cum notis.

(7) *Ibid.*, ad ann. 1146 et 1151.

(8) *Ibid.*, ad ann. 1069. Hunc usum jam antiquitus usurpatum fuisse e variis documentis comperimus, ut in Dudonis *Chronico*, p. 79 : « Regnum quod mihi ultro dedisti *per hunc mucronem* » ; in *Neustria pia*, p. 223, « Donavit Willelmus comes et princeps Normannorum *per unum cultellum*. » Vid. De

Ineunte XII^{mo}. sæculo, res Normannicas narravit Ordericus Vitalis, Gregorius alter, seu depingat temporum calamitates, optimatumque ferocem animum, sævientia ubique bella, seu mentes ostentet ad cœlestia conversas, clerumque motos

Vaines, *Dictionnaire raisonné de Diplomatique*, t. I, p. 107. Quibus documentis liceat addere antiquum instrumentum quod in Archivis Sequanæ Inferioris ms. servatur : « Anno ab incarnatione Domini MCV, Willelmo archiepiscopo, in sancta Rotomagensi ecclesia presidente, Radulfus filius Walberti de Bodriz reddidit Sancte Marie Rotomagensis ecclesie terram de Gisorz quam idem Walbertus et ipse filius ejus Radulfus post mortem patris in excommunicatione tenuerant auferendo eam eidem ecclesie. Hanc redditionem fecit prefatus Radulfus apud Rotomagum *per cultellum in diebus Pentecostes super altare Sancte Marie*, dum missa ibi celebraretur, presente Willelmo archiepiscopo et presentibus archidiaconis, videlicet Benedicto, Fulberto, Goisleno, Ursello, Ricardo et Rogero secretario cum omni congregatione ecclesie et presentibus etiam quampluribus civibus Rotomagi ibique coram altari absolvit archiepiscopus Walbertum et Radulfum filium ejus culpam suam culpamque patris cognoscentem et confitentem. Exhinc communi consensu, statuto termino, ab utraque parte convenerunt apud Verleium tam archiepiscopus quam idem Radulphus filius Walberti, necnon mater ejus et fratres ejus, ibique Radulphus renovavit hanc redditionem, reddiditque tunc Sancte Marie prefatam terram de Gisorz *per baculum* in manu archiepiscopi, ubi tunc interfuerunt hanc redditionem concedentes ex parte Radulfi mater ejus et fratres, videlicet Walbertus, Eustachius, Albericus, Ingelrannus nepos ejus, filius Willelmi de Carz, homines sui, videlicet Ricardus de Fontanis, Odardus Presteval, Johannes de Bodriz, Paganus de Corceles, Hucbertus de Verlei, Osmundus de Faiel, Bernardus filius Raineri, Drogo Sentier, Rainaldus Sorel, Radulfus filius Odardi. Ex parte vero archiepiscopi cum prefatis archidiaconis interfuerunt casati Sancte Marie et homines ejus, scilicet Osmundus de Calvomonte, Paganus de Nielfa, Robertus de Faiel et Gaszo, Hugo dapifer Pagani et Willelmus frater ejus, Guidardus filius Imeri, Eustachius de Fraisneus, Robertus filius Helinandi, Gislebertus de Verlei, Willelmus Crispinus juvenis et Manasses frater ejus, Willelmus de Condeit, Willelmus filius Hucberti, Hugo de Pormort et Johannes frater ejus, Walterus Torel, Hugo de Bosemont, Robertus filius Ernulfi de Villanis, Radulfus de Gisorz, Hugo filius Serlonis, Willelmus filius Eustachii, Ascelinus filius Andreæ, Rogerus de Pratellis, Radulphus de Vilers, Florentius canonicus, Ricardus presbiter de Gisorz, monachi II°. de Verlei, Radulfus Mordant et Anschetillus. Cum his homines plurimi affuerunt et de Gisorz et de Nielfa et de Calvomonte et de Verlei et de Dangut et de Vilers. Pro hac itaque redditione dedit prefatus archiepiscopus eidem Radulfo filio Walberti in cognitione XX^{ti}. marcas argenti, eodem de Radulfo in Jherusalem tunc ituro sub testimonio omnium qui in hac carta scripti habentur. » — De consuetudine illa vide Ducange, ed. Henschel, v°. INVESTITURA *per cultellum*, *per cultellum plicatum*, *per cultellum flexum*. Cultellus, ut opinatur auctor doctissimus, gladii quem non semper ad manum patres nostri habebant, vicem apud eos in hac occasione tenebat significabatque « eum qui rei dominium subibat, jus habere evertendi, disjiciendi, succidendi, metendi etc. in eo prædio, cujus possessionem adibat. » A vero non abhorrere hæc conjectura videtur. Unus tamen ex impigerrimis nostræ Normanniæ scriptoribus aliam ea de re opinionem habet, cujus verba hic placet afferre : « De savants antiquaires traduisent le mot *cultellum* par petit poignard, couteau ; ils prétendent que sur le pommeau de ce petit couteau ou poignard était le sceau du gentilhomme auquel il appartenait, et que ce gentilhomme l'apposait sur ses actes ou chartes. On peut opposer plusieurs raisons à cette opinion. Dans le moyen-âge, *cultellum* signifiait *coutille :* c'était une espèce d'épée dont il est fait mention dans nos anciens historiens. Nos soldats s'en servaient sous Charles VII. Elle était plus longue que les épées ordinaires et tranchante depuis la pointe jusqu'à la garde. Rien ne prouve que ce fût pour les gentilshommes un privilège de la porter, ni même qu'ils s'en servissent. Les savants Bénédictins entendent par *cultellum* l'instrument d'un écrivain public. On voit dans une vieille charte qu'un gentilhomme Geoffroi de Bifanges dans le Poitou et son père qui était évêque donnèrent plusieurs choses à l'abbaye de Trizay, par le mi-

tumultus pro virili parte compescentem (1). Tanto scriptori pauca, nonnulla tamen, addunt nostra Chronica de cœnobiorum origine abbatumque syllabis (2). Ordericum Vitalem excepit Robertus de Torinneio seu de Monte Sancti Michaelis in periculo maris; cujus apud *Scriptores rerum Gallicarum* encomium habes. « Quum ad annum « 1154 pervenit Robertus proprio vela dans ingenio viamque sibi callide notam « persequens opus orditur eximium quo, post Orderici Vitalis historiam, in anno « 1141 desinentem, nullum est utilius ad res Normannicas investigandas (3). » Roberti *Chronicon* Acherius primo edidit ad calcem Guiberti Novigentensis (4); tum Benedictini, in *Scriptoribus rerum Gallicarum*, Roberti fragmenta hinc inde pro suo more disjecerunt (5); recentissime vero integrum Roberti opus in *Monumentis Germaniæ historicis* publici juris fecit Lud. Conr. Bethmann (6). Chronicon Roberti historiam totius orbis usque ad annum 1186 narrat, nec Henrici II regnum omni parte absolutum dedit. Nostra vero Chronica Normannicos annales usque ad annum 1378 amplectuntur. Quin in ea parte quam narrandam suscepit Robertus de Monte nonnulla emisit quæ in nostris Chronicis reperire est. In isto enim gravissimo bello, quod, anno 1173, adversus suos filios Ludovicumque Galliæ regem gessit Henricus II nusquam ex Roberti annalibus comperimus ducis Normanniæ causam a *Communiis* enixe susceptam fuisse; nec magis populi regisque fœdus in Anglicis Chronicis Guillelmi Neubringensis (7) vel Joannis Bromptonis invenimus (8). Plerique narrant Henricum II cleris infensum, Thomamque archiepiscopum regis jussu ad aras necatum. Sed Henricum postea sibi clerum conciliasse, Rotomagensem archiepiscopum regi a secretioribus consiliis fuisse, denique maximas opes Henrico bellum gerenti ex ecclesiæ Rotomagensis ærario erogatas fuisse in Novis tantum Normanniæ Chronicis videre est (9). Hic totus apparet Henricus II, quanta polleret industria.

nistère d'un moine de Pontigny, *per cultellum Andreæ de Buldamento monachi Pontiniacensis*. Peut-on supposer que ces deux personnages se soient servis de l'épée d'un moine? N'est-il pas évident qu'il s'agit ici de la plume ou de tout autre instrument propre à écrire? L'abbé Desroches, *Histoire du mont Saint-Michel*, in-8, Caen, 1838, t. I, p. 264, (2. » Cf. et quæ ea de re attulit vir in his materiis versatissimus, Dominus Guérard (*Cartulaire de l'abbaye de Saint-Père de Chartres*, in-4°., Paris, 1840, t. I, p. ccxxiii et suiv.). A. CH.

(1) Orderic Vital, *Ecclesiastica historia*, ap. *Script. rer. Norm.*, ed. Andrea Duchesne, p. 321 et sqq.—Ordericum Vitalem ad fidem mss. recensuit amplissimisque notis illustravit D. Aug. Le Prevost, in novissima editione, cujus tria volumina jam prodierunt.

(2) *Normanniæ nova Chronica*, ad ann. 1076, 1077, 1090.

(3) *Script. rer. Gallic.*, t. XIII, Præfat., p. XXX.

(4) Parisiis, ann. MDCLI.

(5) *Script. rer. Gallic.*, t. III, p. 332; V, 375; VI, 233; VII, 249; VIII, 308; X, 246; XI, 163; XIII, 256; XVIII, 334.

(6) *Monumenta Germaniæ historica*, Scriptores, t. VI, p. 475-535.

(7) Guillelmi Neubringensis *Chronicon*, ed. J. Picard, Parisiis, 1610.

(8) Johannis Brompton *Chronicon*, ap. *Hist. Anglic. script. X*, p. 721 et sqq.

(9) *Normanniæ nova Chronica*, ad ann. 1154, 1173, 1174, 1175.

quam acer fuerit Gallis Britannisque debellandis, quum media nocte assurgens longum iter brevissime perficeret hostes occupaturus (1).

Nonnulla notanda arbitror de Alexandro Gemeticensi abbate, qui florebat ineunte XIII°. sæculo. Hujus abbatis nomen invenies quidem in doctissima Litterarum Gallicarum Historia (2), sed quasi obiter perstrictum. In Gemeticensibus autem annalibus comperitur Alexandrum quasi splendidissimum istius ævi lumen veneratum fuisse. Quo anno monachi vestem induerit (3), quos libros intulerit cœnobio (4), quibus divitiis abbas factus Gemeticense ærarium auxerit (5), in nostris Chronicis reperies. Quod si quis miretur puerilia narrantes monachos, ut de Henrico juniore, qui sabbati die natus, unctus et mortuus est (6), hujus ævi mores ingeniumque incomperta habere se profitetur. Eo enim tempore, Rigordus, qui nonnulla fama viguit vigetque adhuc hodie, pueros asserit duo et triginta dentibus ante Hierosolymam a Saladino captam instructos fuisse; expugnata vero urbe, duo tantum et viginti habuisse (7). Sexcenta hujusmodi in historicis mediæ ætatis carpenda essent, ni satius foret quod inter tot fabellas verum et utile sit indagare.

Jam vero ab illo tempore quo Neustria alienæ ditioni subacta est, perpauca reperiuntur Normanniæ Chronica; duo tantum in *Scriptoribus Normannicis* ab Andrea Duchesne vulgata sunt (8), quorum alterum e Sancti Stephani Cadomensis bibliotheca depromptum (9), utraque tenuissima et nostris longe minora, seu temporum seriem seu res narratas respexeris. De Rotomagensi Chronico, quod Labbæus edidit (10), pauca præmisi; idem Chronicon apud Scriptores rerum Gallicarum ad verbum transcriptum habes (11). Gemeticense quoddam historiæ compendium usque ad annum 1210 Pistorius primum vulgavit (12), quod iterum typis mandandum curavit Dom. Brial in *Scriptoribus rerum Gallicarum* (13). Sed hæc omnia parvi facit ille vir doctissimus. « In Normannia, inquit (14), quæ sæculis XI et XII plures protulit et « insignes historicos, vix alia sæculo XIII inveniuntur historica monumenta, quam « brevia quædam et incondita ecclesiarum Chronica. » Nec majoris facienda est Normanniæ historia, quæ, vernaculo sermone scripta, res Normannicas ab origine

(1) *Normanniæ nova Chronica*, t. XVII, p. 149-150.
(2) *Histoire littéraire de la France*, ad ann. 1173.
(3) *Normanniæ nova Chronica*, ad ann. 1173.
(4) *Ibid.* Cf. notulam de libris cœnobio datis ab Alexandro.
(5) *Normanniæ nova Chronica*, ad ann. 1211.
(6) *Ibid.*, ad ann. 1183. — Cf. Taciti Annal. lib. I, quo narrat Romanos eadem de Augusto recitantes.
(7) Rigordus, ap. *Script. rer. Gallic.*, t. XVII, p. 25.
(8) *Script. rer. Normann.*, p. 1006, sqq.
(9) *Ibid.*, p. 1015.
(10) *Nova Bibliotheca manuscript.*, t. I, p. 364 et sqq.
(11) *Script. rer. Gallic.*, t. XVIII, p. 357-362.
(12) Pistorius, t. I, *Script. rer. Germanic.*
(13) *Script. rer. Gallic.*, t. XVIII, p. 333 et sqq.
(14) *Script. rer. Gallic.*, t. XVIII, Præfatio.

usque ad XV^{mum}. sæculum narrat (1), totamque materiem, domita a Gallis Neustria, adeo contrahit, ut pene omittantur XIII et XIV sæculorum annales. Si quis vero non immerito defecisse historicos dixerit, quum, debellatis Normannis, istius provinciæ historia nullius esset momenti, errare mihi videtur et incompertum habere quamdiu viguerit provincialis animus. Usque enim ad nostrum tempus pristinis institutis adhæsit, quibus nonnihil veteris moris libertatisque retineret. Quod prorsus pernoscendum reor, si quis historicus narrare voluerit quo modo, devictis provinciis, una tandem simplexque coaluerit Gallia. Quis enim Gallicæ gentis fata ingeniumque comperta haberet, nisi prius compertum habuerit quibus, ut ita dicam, membris patriæ corpus creverit, et quid peculiare Galliæ attulerit unaquæque provincia?

Dominantes Gallos indigne tulerunt Normanni, quod certissime constat ex nostris Chronicis, quæ, jejuna plerumque et humi repentia, subito vocem tollunt, quum Merlini recitant vaticinia, quibus nuntiabatur Neustriam duabus provinciis, Anglia scilicet et Hibernia, spoliandam fore (2). Quin imo, dum Joannem, regem Angliæ Normanniæque ducem conviciis non immeritis lacessunt plerique scriptores, nostra Chronica Ducis partibus favere videntur, Arturoque capto et in carcerem dato, Joannem celebrant « honorifice a civibus Rotomagi propter inestimabilem victoriam « susceptum (3). » Quum suos deserens in Angliam fugit Joannes, eum « sapienti « usum consilio » laudant « ne a proditoribus suis baronibus regi Francorum tra- « deretur (4). » Denique, Ludovico Philippi Augusti filio bellum adversus Anglos gerente et Magnam Britanniam invadente, debellatos Gallos Angliaque expulsos alacriter narrant scriptores Normannici. « Rex Angliæ sedit in solio regni sui et facta « est magna lætitia in populo (5). » Nec prorsus mirandum est Normannos Gallorum victoriam ægre tulisse, quum Philippus Augustus civitatum Normanniæ mœnia everteret, novasque exstrueret arces, quibus veluti fræno Normannorum coerceret superbiam (6).

Neustria debellata, nostra Chronica totius regni, imo totius orbis historiam amplectuntur, ab anno MCCIV ad annum MCCCLXXVIII. Quod ad universi mundi annales pertinet, perpauca in his insunt, ut fert natura rerum, quæ memoria digna videantur. Sed temporum mores animosque scrutantis non parvi interest quid tunc hominum mentes præsertim moverit, quid scribentes monachi maxime suis annalibus inserendum censuerint; bella præcipue legenti occurrent in Asia vel in Hispania

(1) *Chronique de Normandie;* hoc opus primum Rotomagi typis mandatum est, ann. 1487, ap. Le Talleur.

(2) *Chronicon unum et triplex*, ms., f°. 107; hanc partem non edidi, ut pote quæ in *Script. rer. Gallic.*, t. XVIII, p. 342, jam pridem vulgata sit.

(3) *Chron. un. et tripl.*, f°. 116; *Script. rer. Gallic.*, t. XVIII, p. 342, A.

(4) *Chron. un. et tripl.*, f°. 107; *Chronicon Rotomagense*, ap. Labbe, *Nova Bibliotheca manuscript.* t. I, p. 370.

(5) *Chron. un. et tripl.*, f°. 120; *Chronic. Rotom.*, ap. Labbe, *Nov. Bibl. mss.*, t. I, p. 373.

(6) Guillelmus Armoricus, ap. *Script. rer. Gallic.*, t. XVII, p. 213.

adversus Saracenos gesta, Christianorumque victoriæ (1); communem enim tunc Christianorum patriam Palestinam non immerito dixerim. Tum imperatorum summorumque pontificum seriem et certamina memoriæ tradenda curaverunt.

Quidquid in Gallia vel a Gallis gestum est accuratius narrant Normanniæ nova Chronica, sed non ita ut sit rebus color additus. Notanda tamen videntur quæ referunt de sancta spinarum corona a Ludovico IX Parisius illata (2), et de Pastoribus Galliam vastantibus; Rotomagum a Pastoribus occupatum archiepiscopumque Odonem Rigaltium Majore Ecclesia a rebellibus expulsum (3) nullus historicus narraverat. Tum Ludovicum IX Normanniam peragrantem, commorantem Rotomagi et cum quodam *recluso*, qui maxima fama pollebat, colloquentem (4), nec in Gaufrido de Bello-Loco nec in cæteris coætaneis reperire est (5), nec apud Tillemontem, cujus doctissima Ludovici IX tandem vulgata est historia (6). Eduardum, Angliæ regem, a socero Philippo IV, solemni apparatu, receptum fuisse fusius refert Sanctæ Catharinæ Chronicon (7); mortuoque Philippo, Enguerranum, unum a secretioribus consiliis ærariique præfectum, morti traditum fuisse, tum omnia apud Gallos in pejus ruisse (8); quod prorsus minime mirabimur, si in memoriam revocamus cœnobio Sanctæ Catharinæ plurima dona ab Enguerrano collata fuisse (9). Anno MCCCXLV, commotam Rotomagensem Communiam (10), et in Majorem primoresque civitatis acrius sævientem moxque regiis præfectis infensam (11), nusquam nisi in nostris Chronicis legere est. Quum enim Angli Normanniam invaderent nummique essent erogandi ut Gallicus exercitus instrueretur, fremere Rotomagenses, antiqua jura asserere, quibus vectigalium immunes erant, eoque furoris provehi ut publicanorum domos solo æquarent (12). Eo loco, scriptores monachi, quorum sæpius effœta est oratio, nescio quid amplioris habent. Multa alia, sed minoris momenti, seu nigra peste in Galliis sæviente (13), seu terris superfluente aquarum diluvio (14), recitare liceret. Pleraque a Novis Chronicis relata conventuum tantum interesse videntur, dona scilicet monachis collata, abbatum instituta, sanctorum miracula vel

(1) *Normanniæ nova Chronica*, ad. ann. 1213.
(2) *Ibid.*, ad ann. 1242.
(3) *Ibid.*, ad ann. 1251.
(4) *Ibid.*, ad ann. 1255.
(5) Cf. *Script. rer. Gallic.*, t. XX, p. 18, 19, 388, etc.
(6) Tillemont, *Histoire de saint Louis*, 6 vol. in-8°. Paris, 1848.
(7) *Normanniæ nova Chronica*, ad ann. 1313.
(8) *Ibid.*, ad eumd. ann.
(9) *Chronicon Rotomagense* a Delamare digestum, ad calcem operis cui titulus : *Trophées et conquêtes des Normands*, Rouen, 1638.
(10) *Normanniæ nova Chronica*, ad. ann. 1345.
(11) *Ibid.*, ad ann. 1347.
(12) *Ibid.*, ad eumd. ann.
(13) *Ibid.*, ad ann. 1348.
(14) *Ibid.*, ad eumd. ann.

piacula *reclusorum* (1). Sed si res attentius perpendere volueris, hic temporis, hominumque conditio apprime depingitur, sive, jubente Gemeticensi abbate, manus conserant mercede conducti *bellatores*, ut Chronici verbis utar (2), sive interdicto subjiciantur Rotomagi ecclesiæ, quia servum canonici in carcerem tradiderit Major civitatis (3). Ejusdem generis plurima sunt. Miraberis forsan in monachorum annalibus tanti esse terrestria bona; nihil enim accuratius digestum animadvertas, quam silvarum tractus, et cætera feuda, quibus ditescebant cœnobia. Hic vero apparet temporis labes, quum primævi instituti immemores monachi regnum terrestre cœlesti anteponerent. Si vero historiæ utilitatem respexeris, non spernendæ sunt istæ monachorum tabulæ, ut locorum situs, prout fert unaquæque ætas, restituantur.

Nonnunquam clerorum mores obiter carpunt monachi. Non hic loquor de Roberto archiepiscopo (4), qui in *Gallia Christiana* severius habetur (5). Sed ne Rogerio quidem parcunt, qui e Rotomagensi archiepiscopali sede ad summum pontificatum provectus est; isti archiepiscopo vitio datur quod sæpius regiis consiliis quam divinis officiis interesset (6).

Jam, perpensis omnibus, quibus nonnihil meriti habent nostra Chronica, procul abest quin negem plerumque incondita esse et omni dictionis venustate carentia. Sed eo magis medii ævi barbariem testantur, istorumque confutant errorem, qui mediæ ætatis laudatores XIII^{m}^{m}. sæculum peculiariter *aureum sæculum* profitentur. Fateor equidem libens virum nulli secundum eo tempore floruisse, si mentem piam rectique consciam æstimaveris. Sed quanta clerus laboraret ignorantia, quantis plebs calamitatibus, cuncta testantur illius temporis documenta. Non is sum (procul abhorreo), qui medii ævi rebus studens vetera præsentibus anteponam, disjectasque optem provincias et quasi ruptas Galliæ venas. Sed vel patriæ unum corpus unamque mentem miranti incumbit, si res ab origine repetere volueris, indagare qua ratione e tot provinciis unum tandem regnum evaserit, quidque patriæ communi unaquæque pars attulerit; nec prorsus reor a nostris monachis talem historiam perfectam fuisse, jamque in posteriori parte quid in istis Chronicis desideretur notabo, et obiter vetera perstringam Normanniæ instituta.

(1) *Normanniæ nova Chronica*, ad ann. 1211, 1218, 1227, 1256, etc.
(2) *Ibid.*, ad ann. 1240.
(3) *Ibid.*, ad ann. 1207.
(4) *Ibid.*, ad ann. 989.
(5) *Gallia Christiana*, t. XI, p. 26-27.
(6) *Normanniæ nova Chronica*, ad ann. 1330. De Normannici cleri moribus XIII sæculi cf. *Regestrum visitationum Archiepiscopi Rotomagensis* (Eude Rigaud), ed. Th. Bonnin, in-4°. Rouen, 1847.

PARS POSTERIOR.

QUID PRÆCIPUE IN *NORMANNIÆ NOVIS CHRONICIS* DESIDERETUR QUIDQUE IN NORMANNICA HISTORIA SIT PRÆCIPUE INQUIRENDUM.

Non mihi mens est in hac immensa rerum congerie quidquid nostrorum Chronicorum scriptores omiserint requirere. Sed eos in gravissimam culpam incidisse non immerito dixerim, quum penitus ea neglexerint instituta, quibus Normannia diutius suas libertates tutata sit, et, licet non jam sui juris, peculiare regimen retinuerit. His omissis, ramos arboris foliaque vident, sed latet radix penitus terris abdita. Quod præcipue vituperandum censeo, quum ea Normanniæ instituta, scaccarium scilicet, provinciale consilium, supremusque ille ducatus, qui a Philippo Valesio inchoatus usque ad Ludovicum XI licet sæpius intermissus permansit, originem habent in XIIImo. et XIVmo. sæculis, quorum historiam nostra Chronica continent. Sed scriptores monachos, monasterii rebus unice devotos, talia fugerunt; nec magis suspicati sunt quo evaderent plebis motus quos vix obiter narrant. Non igitur abs re erit, me saltem judice, accuratius ea adumbrare, quibus præsertim constat provincialis historia, institutaque notare, quibus, quasi armis, instructi Normanni septem per sæcula regiis ministris abluctati sunt. Primum de Normanniæ Communiis loquar, tum de ultimo ducatu summoque provinciæ concilio aut *statibus*, ut dicebant, denique de Scaccario Normannorumque peculiari lege seu *consuetudine*; quæ omnia brevissime perlustrabo.

In Neustria nulla reperiuntur municipia quæ a Romanis instituta usque ad XIIImum. sæculum indesinenter viguerint. Medio tantum XIIo. sæculo, *Communitas popularis*, ut Orderici Vitalis verbis utar (1), apud Normannos incœpit. Afflante e Viromandiæ regionibus libertate, Augi civitas eadem jura, quæ Sancti Quintini incolis concessa fuerant, sibi vindicavit (2). Tum Rotomagenses, magno commercio locupletatos et in majus quotidie crescentes, Godofredus Andegavensis, cui hostes undique minabantur, sibi conciliavit, concessa, anno circiter 1150, Communiæ carta (3). Henricus II, Godofredi Andegavensis filius, urgentibus clero et rege Galliæ, a patre datas libertates confirmavit et auxit in majus (4), imo totam Neustriæ

(1) Orderic Vital, ap. *Script. rer. Gallic.*, t. XII, p. 705.

(2) In Augi Archivis, liber dictus *Rubeus* cartam Joannis comitis continet, qui concessit « Communionem secundum scripta Sancti Quintini. »

(3) Archiv. civitatis Rotom., no. IX, 1.

(4) Ibid. In illa carta Henricus concedit Rotomagensibus commercii jura maxima : « Nullus extraneus emat merces illarum navium nec aliarum quæ venerint de ultra mare, nisi per manus hominum Rotomagi, etc. »

plebem communi lege a plerisque servitutis oneribus vindicavit (1). Liceat nonnulla ex antiqua venerandaque lege recitare : « Nullus homo liber capiatur vel imprisionetur aut dissaisiatur de aliquo libero tenemento suo vel libertatibus aut liberis « consuetudinibus suis, aut ligetur aut exulatur aut aliquo modo destruatur nisi per « legale judicium parium suorum vel per legem terræ. Omnes mercatores habeant « salvum exire et securum. Una mensura vini sit per totum regnum nostrum, et una « mensura cervesiæ et una mensura bladi. Nec villa nec homo distringatur facere « pontes aut riparias, nisi qui ab antiquo et de jure facere debent. Nullus vicecomes « nec baillivus noster vel alius capiat equos vel caretas alicujus pro cariagio faciendo, « nisi reddat liberationem antiquitus statutam, sed et (scilicet) pro careta ad duos « equos X denarios per diem et pro careta ad tres equos XIII denarios per diem. » Sed quum illa jura omnibus Normannis concessa sæpius parvi facerent regii præfecti, unaquæque civitas peculiare quoddam sibi vindicabat, et, ineunte XIII°. sæculo, multæ Normanniæ urbes Communiarum privilegiis fruebantur. Inter quas primas tenent Augum, Rotomagus, Alenconium, Cadomum, Monasterium-Villare, Andeliacum, Fiscannum, Bretolium, Hareflotum, Pons-Audomari, Vernolium, Falesia (2). Quas civitates, e cartis ducum Normanniæ, magnis libertatibus donatas fuisse comperimus, quo tempore sui adhuc juris erat Neustria.

Quum autem Philippus Augustus Normanniam armis subjecisset, civitatum jura confirmanda, imo et augenda curavit (3). Nec tunc, apud Normannos, sibi invicem æmulatæ urbes, ut sæpe Communiis vitio datur, in mutuam conspirabant ruinam. E contra, major Communia, Rotomagensis scilicet, minoribus leges mandataque dabat, omnesque fœdere quodam devinctas diceres, ex epistola Rotomagensium quæ sic se habet (4) : « Major Rotomagensis et pares cives Majori de Fiscanno et om« nibus ejusdem villæ juratis, et Majori Monasterii-Villaris et omnibus ejusdem villæ « juratis, et omnibus Communiis de Caleto Rotomagensis Communiæ juratis, salutem « et dilectionem, mandamus vobis, etc. » Quis neget, his lectis, urbes fœdere conjuratas, in Normannia, vel saltem in Caleto, XIII°. sæculo, communia jura « tuenda suscepisse, minoresque civitates majori civitati fuisse obnoxias?

Medio autem XIII°. sæculo, adeo creverat apud Normannos Communiarum usus, ut Ludovicus IX e Palestina redux regnumque suum peragrans, totus rebus in melius mutandis, una lege omnes Neustriæ Communias jubet quotannis certo tempore tres cives eligere, inter quos Majorem assumat rebus urbis præficiendum (5). Quum vero, exeunte XIII^{mo}. sæculo, Philippus IV pecuniæ undique conquirendæ studio

(1) Brussel, *De l'usage des fiefs*, t. II, in Appendice, cart. et patentes.

(2) Vid. documenta recentius ab Anglis edita, sub titulo : *Rotuli chartarum*, *Rotuli patentium et clausarum*; quibus addenda sunt jamdudum a Gallis vulgata, et præcipue *Ordonnances des rois de France*.—Cf. Ducange, v°. Communiæ.

(3) *Ordonn. des rois de France*, t. I, p. 307; t. V, p. 671 et sqq.

(4) *Neustria pia*, p. 859.

(5) *Ordonn. des rois de France*, t. I, p. 83 et 84.

laboraret civitatibusque olim omni tributorum onere immunibus nummos extorquere conaretur, plebis tumultus in Normannia orti sunt (1); tum immissi qui rebellantes comprimerent, veteraque civitatum abolerent jura (2) pecuniaque accepta mox restituerent (3). XIV^{mo}. autem sæculo, quum quotidie magis ac magis augerentur tributorum onera, urbium plebs irata sævire, in seditiones ruere, imo reges sibi creare (4), donec furore in pejus acta et a regiis ministris devictis Communiarum jure spoliaretur (5). Ea fuerunt prima fata popularis libertatis apud Normannos, sed non Communiarum ruina plebs obruta cecidit, et ab eo tempore rerum pars magna fuit, in provinciæ concilio sedens, et rebus Normanniæ administrandæ admovens manus. Quid plura? Omnibus patet res immutatas XIII^{mo}. et XIV^{mo}. sæculis, et gravissima omisisse historicos qui plebem orientem et ad magna surgentem ne sunt quidem suspicati.

Nec minus mirandum istos scriptores ultimum Normanniæ ducatum peculiariaque instituta, quibus nitebatur provinciale jus, parvi fecisse. Ducatus ille a Philippo Valesio instauratus est anno 1332, Joannique regis primogenito datus (6). Quanto gaudio Normanni ducem redivivaque provinciæ jura acceperint testatur Chronicon Rotomagense (7); ubique, in Neustria, Galliæ sigilla rupta fuerunt Normannorumque leones Francorum liliis antepositi (8). Dux, in Majori Rotomagi Ecclesia, stipantibus hæreditariis ducatus ministris, Normanniam *duxit* sponsam, annulo accepto (9), quumque ipse caput cinctus aureo circulo rosis ornato (10) provinciæ jura tueri jurejurando pollicitus fuisset, Normanniæ optimates in verba sua adegit. Regnantibus Philippo Valesio Joanneque filio, ducatus Normanniæ regum primogenitis mandatus est. Quum vero Carolus V res Galliæ in pessimum collapsas restituisset et regiæ potestati novas addidisset vires, tantam provinciam nulli censuit permittendam, sed ducatum abolendo cætera provinciæ jura integra servavit. Quin, licet, regnante Carolo VI, omnia prædæ essent, et regnum a potentioribus dilaceraretur, Normanniæ ducatum fratri Aurelianensi Carolus abnuit committendum, « quum esset, ut ejus « verbis utar (11), potior et uberior pars regni. » Postremo autem, quo tempore Ludovicus IX ab optimatibus confœderatis devictus pristina feudorum jura restituere

(1) *Guillelmus Nang.*, ap. *Script. rer. Gallic.*, t. XX, p. 575.

(2) *Ordonn. des rois de France*, t. XI, p. 420.

(3) *Ibid.*

(4) Monachus Sancti Dionysii, ed. Bellaguet, t. I., p. 130 et sqq.

(5) *Ibid.*, p. 246 et sqq. Cf. cartas regias in Archiv. Rotomag. asservatas, quas publici juris feci in Appendice secundi voluminis *Historiæ Communiæ Rotomagensis*.

(6) Cf. novi ducatus cartam, ap. Dachery, *Spicilegium*, t. III, p. 717.

(7) *Chron. Rotom.* ap. Labbe, *Nov. Bibl. mss.*, t. I, p. 386.

(8) *Ibid.*

(9) Cf. ritus de coronandis ducibus Normanniæ ap. Martene, *De ritibus antiquis Ecclesiæ*, t. II, p. 853 et 854, et Duchesne, *Rer. Norm. script.*, p. 1051.

(10) De circulo aureo ducum Normanniæ, vid. Mathæum Parisiensem, p. 137, ed. Paris., ad ann. 1644.

(11) Monachus Sancti Dionysii, ed. Bellaguet, t. III, p. 284.

cogeretur, Neustriæ ducatum fratri juniori mandavit invitus. (1) Quod gratanter acceperunt Normanni (2) Carolusque, novissimus Normanniæ dux, a Rotomagi civibus magno tripudio in metropolitanam ecclesiam deductus est, ut comperitur ex antiquo canonicorum ms. codice (3) : « Pro receptione Domini Karoli, Ducis « Normanniæ, Domini [Canonici] concluserunt quod magnifice cum magno decore « recipietur ab Ecclesia per Dominos Decanum deferentem ad magnam portam « librum Evangelii, Cantorem aquam benedictam, et per Thesaurarium incensa- « bitur. Et, hoc facto, cantabitur solemniter *Te Deum laudamus*. Et procedet tota « processio ad chorum cum assistentia Dominorum Episcoporum et Abbatum in- « teresse volentium. Princeps vero cum suis sequetur, et tamen procedet ad majus « altare ubi celebrabitur *mysterium* institutionis ducis Normanniæ intra Missarum « solemnia, prout in pontificali antiquo continetur, et celebrabitur hujusmodi mys- « terium per reverendum in Christum patrem et Dom. Dom. Ludovicum (4), Pa- « triarcham Hierosolymitanum, Episcopum Baiocensem, ex parte Capituli et Domini « Vicarii Rotomagi requestum et rogatum de hoc faciendo, in absentia reverendi « in Christo patris et Dom. Dom. Cardinalis Archiepiscopi (5). » Brevius evanuit ista ducatus umbra, et Rotomagenses, juniori duce in fugam verso, eo adducti sunt, ut, paucos post menses, a Ludovico XI veniam peterent. Callidus vero princeps Normannos sibi conciliavit, confirmatis provinciæ libertatibus (6), sed ducatum in perpetuum abolevit, ut in universo solemnique Galliæ concilio cautum fuit ne unquam Normannia a regno distracta peculiari duci regenda traderetur (7). Quin, annulum, quo dato Normanniam sponsam duces habebant, frangi jussit Lu-

(1) Comines, édit. Petitot, p. 424.

(2) « La ville (Rouen) tost se consentit à cette mutation comme trop désirant d'avoir prince qui demeurast au païs de Normandie.... Et a tousjours bien semblé aux Normands, et fait encores que si grand duché, comme le leur, requiert un duc, et, à dire la vérité, elle est de grande estime, et s'y leve de grands deniers. » Comines, p. 417 et suiv.

(3) *Regist. Capit. Rotom.*, ann. 1465, in Archiv. præfecturæ Sequanæ-Inferioris.

(4) Ludovicus Harcurianus, Bajocensis episcopus, restituendo Normanniæ ducatus maximam operam navaverat. —Vid. F. Pommeraye, *Histoire des archevêques de Rouen*, in-fol. Rouen, 1677, p. 540 et sqq. Nomen *Dominum* hic habemus honoris gratia iteratum; quod sæpius occurrit in epistolarum inscriptionibus, ut videre est ap. *Lettres des Rois, Reines et autres personnages des cours de France et d'Angleterre depuis Louis VII jusqu'à Henri IV*, édit. Champollion-Figeac, t. I, p. 177, 182, 185, 188, etc., etc. A. CH.

(5) Guillelmus Estotevillæus, ex illustri Normannorum prosapia, cardinalis et archiepiscopus Rotomagensis, rebus regni gerendis, Parisiensi Universitati in melius mutandæ et etiam Romanæ curiæ intentus, eo tempore procul a Rotomago agebat. Vid. F. Pommeraye, l. l., p. 563 et sqq.

(6) Carta, qua Ludovicus XI Rotomagensibus veniam concessit, in Archivis urbis Rotomag. asservatur, n°. IV, 7.

(7) Cf. *Documents inédits de l'histoire de France*, t. III, p. 494 et suiv. des *Documents extraits de la Bibliothèque Nationale et des Archives et Bibliothèques des départements.*

dovicus, et, revera, astante summo Normanniæ concilio in frusta minutus est (1). Nec tamen, abolito ducatu, abolita simul fuerunt instituta, quibus Normannia nonnihil pristinæ retinebat libertatis, Normannorum scilicet carta et provinciæ solemne concilium

Normannorum carta a Ludovico X concessa fuerat (2), qua præcipue cavebatur ne quis Normannus extra provinciæ limites in jus vocaretur. Hanc cartam, requirentibus Normannis, rex sancivit, ut ipse testatur in proœmio : « Gravem querimoniam prælatorum, ecclesiasticarum personarum, baronum, militum, aliorum « nobilium et subditorum ac popularium ducatus nostri Normanniæ recepimus. » Quod documentum, libertatum provinciæ tutissimum columen, Normanni sedulo sanciendum ab unoquoque rege curaverunt; integrum viguit usque ad XVIIᵐᵘᵐ. sæculum. Quid ? XVIIIᵒ. sæculo, quum jam a ministris regiis Normannorum carta proculcaretur, et nihil nisi laceratum pristinæ libertatis signum videretur, manebat tamen nonnulla veteris monumenti memoria, ut in regiis formulis videre est, quibus sæpius additur : « Nonobstante Normannorum carta. »

De summo provinciæ concilio, vulgo *Normanniæ statibus*, plurima dicenda essent. A remotissimis temporibus, Normanniæ proceres, tum laici cum clerici, vocante duce, in unum conveniebant, ut rebus provinciæ consulerent (3). Sed XIVᵐᵒ. tantum sæculo, plebs Normanniæ conciliis interfuit. Quo enim tempore Angli Neustriæ minabantur, anno 1337, tres provinciæ ordines in unum convenerunt (4), ut regem nummis juvarent, et, ab eo tempore, fere quotannis vocati sunt, erogandæ pecuniæ causa. Nonnunquam vero Normanniæ jura enixe tutati sunt, præsertim XVᵐᵒ et XVIᵐᵒ. sæculis (5). Sed, quum regia potestas cuncta ad se traheret seque totum regnum aperte diceret, Normanniæ solemne concilium antiquatum est, nec post annum 1654 hujus concilii vestigia reperimus, teste doctissimo rerum Normannicarum scriptore (6). Tunc vectigalia a regiis præfectis ad libitum imposita et expressa sunt; quod et Normannis et regiæ potestati malo vertit. Nihil aut certe pauca, exeunte XVIIᵐᵒ. sæculo, supererant ex istis institutis, quibus peculiare Normannorum regimen

(1) Floquet, *Histoire de l'Échiquier de Normandie*, p. 255.

(2) Cf. Floquet, *Histoire de la Charte aux Normands*, in *Précis des travaux de l'Académie de Rouen*, 1842. — Quod eximium opusculum et habes ap. *Mémoires de la Société des Antiquaires de Normandie*, t. XIII, p. VI-XXII. Quin imo illi fuerat destinatum Societati quam tunc auctor clarissimus, ut aiunt, *dirigebat*, et in publico consessu cui præsidebat, decima septima die mensis Augusti, anno Christi millesimo octingentesimo quadragesimo secundo recitatum magnoque plausu exceptum. A. C.:.

(3) Cf. Martène, *Thesaurus novus anecdotorum*, t. IV, p. 117-120; *Englische Reichs-und-Rechtsgeschichte seit der Ankunft der Normannen*, von G. Philips, Berlin, 1827, t. I, p. 120 et sqq.; t. II, p. 28-32.

(4) *Chron. Rotom.* ap. Labbe, *Bibl. nova manuscript.*, t. I, p. 386-387.

(5) Cf. Lenoir, *La Normandie pays d'États*; A. Canel, *Recherches sur les États de Normandie.* In Archivis urbis Rotomagensis, *Registres des délibérations*, plurima invenies de summo Normanniæ concilio provinciæ jura quam acerrime tuente.

(6) Floquet, *Histoire du Parlement de Normandie*, t. V, p. 549.

steterat. Uno tamen adhuc vigebat, quod cæteri Galli, non sine invidia, Normannis vitio dabant, juris scilicet studio, propriaque lege, vel, ut dicebant, *Consuetudine.*

Si a priscis temporibus Normanniæ leges repetuntur, vetustissimum tribunal invenitur, *scaccarium* dictum, quod usque ad XVI^mum^. sæculum viguit, eoque tempore in parliamentum evasit. Scaccarii antiquam requirere originem nec mens est, nec fert locus (1). Certum est a primis Normanniæ temporibus floruisse, nunc *curiam regis*, nunc *scaccarium* dictum, sive missi judices a verbo germanico *schicken* (mittere) nomen ducerent, sive scaccarii tabula pecuniæ numerandæ, utpote in computorum camera, parata esset, sive litigantes, velut in scaccarii ludo, luctarentur (2). Multas alias istius nominis origines apud Cangium habes, quæ parum nostra referunt. Bis quoque anno, vere scilicet et autumno, optimates Normanniæ, episcopi, abbates, duces, comites ad curiam regiam vocabantur. Nec locus constabat; quippe nunc Falesiæ, nunc Rotomagi vel Cadomi congregabantur. Quam sedulo Odo Rigaltius, Rotomagi archiepiscopus, scaccario interfuerit videre est in ipsius diario, et, ne forte olim ipsi vel ejus successoribus gravius munus imponeretur, a Ludovico IX petivit et impetravit peculiarem cartam, qua cavebatur ne Odonis studium ipsi vel futuris Rotomagi archiepiscopis malo verteret. Quod documentum, in Archivis Sequanæ-Inferioris præfecturæ asservatum (3), sic se habet: « Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex, universis præsentes litteras inspecturis, salutem: Notum facimus, quod, « quum dilectus et fidelis noster, Odo, Rotomagensis Archiepiscopus, ad instantiam « nostram eat ad scaccaria nostra Cadomi et Rotomagi, nolumus ut, propter vias ac « missiones hujusmodi scaccariorum aut ejus præsentiam in eisdem, ipse vel successores sui plus ire vel interesse ad dicta scaccaria in posterum teneantur. Actum « anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, mense Augusto. »

De variis in scaccario agebant, quid consilii in rebus dubiis capiendum, quid de nummorum ratione judicandum; lites denique discernebant, quum a baillivis vel a feudi judicibus ad ducis curiam provocaretur. Duello sæpius utebantur scaccarii judices, utpote qui parum scripti juris, nisi forsan canonici, periti essent. Quum vero jam apud Gallos revivesceret jus romanum publiceque in scholis doceretur, jamque Ludovicus IX ducatus Franciæ leges, vel, ut dicebant, *stabilimenta* scribenda curavisset, quumque Philippus Belli-Manerii Belvacenses usus, et Petrus a Fontibus alias

(1) Cf. Ducange, v°. *Scaccarium;* Floquet, *Hist. de l'Échiquier de Normandie.*

(2) Luculentum afferam ea de re locum : « Le nom d'échiquier ne vient donc pas, dit l'abbé Lebeuf [à propos d'un passage de Jean de Sarisbéry], de ce que cette cour était composée de gens de différentes qualités; ni de ce qu'on y plaidait les uns contre les autres en bataille rangée, comme au jeu des échecs; ni du pavé de la salle qui aurait été fait en forme d'échiquier; ni du tapis du bureau qui aurait pu aussi être de cette forme; mais de ce que, pour calculer sur la table quarrée de cette salle on se servait de jetons de deux couleurs, apparemment pour marquer les livres avec l'une et les sols avec l'autre. *Histoire littéraire de la France*, t. XIV, p. 119 ». A. CH.

(3) In ms. codice, cui titulus : *Cartularium Philippi Alenconii*, f°. 671.

core potentiaque augerent. Nec ideo abnuerim, quod sæpe Normannis vitio datum est, lucro inhiantes, quibuscumque artibus bonis, si liceret, sed nonnunquam malis. divitias et potentiam eos quæsivisse ; at plerumque, stimulante lucri cupidine, industriam mentem agris excolendis, commercio, navigationi, legum studio sagacissime et pertinaciter intenderunt, adeo ut, ipsis crescentibus, Gallia simul divitiis et viribus cresceret. Quid documentis asserta confirmem? Dicamne Normannos Anglis enixe, XIV^mo^. sæculo, luctantes, imo conjuratos ut Magnæ-Britanniæ suam ditionem iterum imponerent (1)? Quis nescit Dieppæ nautas, penes quos, ut ait Thuanus, præcipua rei nauticæ gloria semper fuit, maria audacter sulcantes Hispanis Lusitanisque viam fecisse (2)? Adeo divitiis creverat Normannia, ut, exeunte XV^mo^. sæculo, Rotomagensis quidam mercator, Pelletier nomine, Gallorum regi, Carolo VIII, apud Italos fidem faceret seque pro pignore daret Florentinis regi pecuniam mutuantibus (3). Quum Franciscus I classem adornaret Angliam invasurus, Normanni suis expensis partem navium maximam parandam curaverunt et in Franciscopolim congregandam. Neminem denique fugit duos Normannos, animi viribus eminentes, amplissime Ludovici XIV sæculum auspicatos fuisse: alter, sobrius rigidusque poeta, verborum virtutem apprime callens, linguam instruebat; alter autem, magna sonans, Gallicam musam antiquæ non imparem præstitit; uterque de patria bene meritus. Quid Pussinum, Huetium, Fontanellum, totque alios recitem, qui pictura, doctrina arteque scribendi acutissima apud Normannos floruerunt? Quid tandem? Illa provincia, quo tempore fuit sui juris, primas facile tenuit late dominata; ex quo autem Galliæ pars addita est communi matri, sanguinem suorum, pecuniam multo labore partam animique vires, nunquam effæta, contulit. Nec ea fuit, quæ pervicaciter, ut vicina Britannia, regiæ potestati obluctaretur priscique moris tenax alterius ævi animos et usus, vel in recentissimis temporibus, retineret, quum jam omnibus dominata provinciis appareret grandis patriæ imago, omnes sibi circumdans liberos, omnes eodem amplectens amore. Sed, mutatis temporibus, Normanniæ ingenium mutatum est, et, Galliæ adhærens, commerciis, agrorum pascuorumque cura, tum arte navigandi, legum literarumque studio magnam laudem novasque vires patriæ addidit. Quum igitur tanta sit illa provincia, operæ pretium est quidquid ad Normanniæ historiam pertineat colligere et pro virili parte illustrare.

(1) Normannorum fœdus, quo Angliam invadere pollicebantur, habes ap. Rymer, *Acta et fœdera*, t. II, pars IV, p. 196-197, ed 1745, Hagæ Comitum. Sed edita carta adulterata est, ut comperitur collato instrumento, quod asservatur in Galliæ Archivis, *Layettes*, J, 210.

(2) Cf. Vitet, *Histoire de Dieppe*, t. II, p. 1-175.

(3) *Discours sommaire de la navigation*, par Thomas Le Fevre, sieur du Grand-Hamel, Rouen, 1650.

NORMANNIÆ

NOVA CHRONICA

AB ANNO CHRISTI CCCCLXXIII AD ANNUM MCCCLXXVIII.

Ann. 473.

Anno CCCCLXXIII. Hoc tempore claruerunt Sanctus Remigius Remensis archiepiscopus, Sanctus Gildardus Rotomagensis archiepiscopus et Sanctus Laudus Constantiensis episcopus quem consecravit Gildardus. Fuit porro ille Gildardus, qui Crescentio successit, frater B. Medardi, quorum vitam magnifico stilo Beatus Fortunatus scribit; una enim die nati fuerunt, una etiam die ordinati, una quoque die migraverunt ad Christum (1).

Vita Beati Gildardi Rotomagensis archiepiscopi et Medardi ejus fratris metrificata a B. Audoeno ejusdem Rotomagi archiepiscopo:

Corpore Gildardus jam fratres atque Medardus
De patre Netardo procedunt jure paterno,
Illorum mater floret Prothagia semper;
In mundum nati mox emeruere renasci;
Innati culpa carnis, baptismatis unda,
Cœlitus adscripti congaudent nomine dicti.
O quam florentes virtutum flore parentes,
Qui prolem talem producunt lucis in aulam!
Virtus cœlestis statum commiserat ipsis;
Servabant pueri tales documenta magistri,
Illorum quoniam dilexit gratia causam;
Qui dedit infantes juvit illos esse docentes
Emeriti sensus, quos lustrat cœlica virtus
Et comes æternus quos replet spiritus almus.
Nam sic Gildardus profecerat atque Medardus.
Tales ergo viros, morum dulcedine miros,
Fratres Gildardum conformes atque Medardum
Laudibus eximiis placeat sustollere cunctis.
Hi veri fratres Christi sub amore calentes,
Ipsos ut sese rectos conantur amare;
Hi sunt Gildardus fratres gemini atque Medardus (2).

(1) Hæc fabella in *Gallia Christiana*, t. XI, c. 10 confutatur; — et in *Actis sanctorum*, mensis junii, t. II, p. 67. Quæ, quum per Normanniam quondam celeberrima cucurrit, etiam nunc in ruricolarum nonnullorum memoria asservatur. In quoddam incerti auctoris, sed quem Rotomagi XIme. XIIme. ve sæculo floruisse conjicimus, opusculum hujuscemodi vulgares irrepsere traditiones. Quum nullam inter *Acta Sanctorum*, loco citato, Gildardi pontificis vitam ad lucem adduxerint Bollandistæ, ineditum adhuc opusculum, quod ex membraneo, XIIIme. sæculo, ut videtur, exarato, codice eruimus, publici juris duximus faciendum, quod pro nimia prolixitate ad Appendicem rejecimus. L. D.

(2) Hic versus et duo sequentes in Orderici Vitalis *Historia ecclesiastica*, edit. A. Le Prevost, t. II, p. 341 inveniuntur.

Una dies utero natos atque una sacratos,
Albis indutos et ab ista carne solutos,
Moribus in placidis stabiles et fœdere pacis,
Fratribus electis vere concordat in istis
Vox nimium sanans Davidica vaticinalis:
Est quia jocundum fratres habitare per unum.
Messyas Christus, sanctorum splendida virtus,
Quidquid adest operis præclari monstrat in ipsis
Et sic Gildardum dilucidat atque Medardum.
O Deus omnipotens, cœlos fulgoribus implens,
Sanctis perpetuam vis esse coronam (1),
Tu quoque Gildardo regnum das atque Medardo,
Consuaves molli sub carnis jure gemelli,
Fratres Gildardus consors simul atque Medardus
Orbi lætitiam cœlesti munere plenam
Donant, huic omnes devoti psallite laudes,
Consimilis Christus genitori sit benedictus,
Ex domino dominus cum solo principe solus,
Qui tam Gildardum confoverat atque Medardum
In cœlo merito cives super æthera notos (2).

Petimus ergo (3) ut illius meritis obtineamus veniam totius criminis nostri, qui sanctorum fretus virtutum incrementis meruit placere conspectibus æterni judicis regis et cujus pro modulo nostræ pravitatis memoriam fecimus in terris, pro peccatis nostris intercessorem et patronum mereamur habere in cœlis præstante gratia nostri redemptoris.

Sepultus est igitur sanctissimus Gildardus in quadam basilica S. Mariæ, quæ nunc dicitur ad Sanctum Gildardum, ibique multo tempore jacuit; in quo etiam loco multa et innumerabilia fecit miracula

(1) Hic versus, quem sic transcripsit Editor, uno pede brevior est; in manuscripto codice, quem nunc conferre non licet, forte legeremus: Sanctis perpetuam vis (civibus *aut* scilicet) esse coronam. A. CH.

(2) Iidem versus in opusculo ms. de quo *supra*, col. 1, note 1, prætactum est, occurrunt; quos etiam descripsit ad octavam junii diem R. P. Arturus Du Monstier, in ampla collectione quam *Neustriam Sanctam* nuncupavit, cujusque autographum exemplar in Nationali Parisiensi Bibliotheca asservatur, inter latinos codices sub numero Supplementi 966. L. D. — Versus illi, in quibus syllaba prima pedis tertii cum extrema sexti consonat, *leonini* dicuntur; qua de causa non satis constat. De nominis istius origine vide Edélestand Du Méril, *Poeseos popularis ante sæculum duodecimum latine decantatæ reliquiæ*, in 8°. Paris, 1843, p. 78, note 4. A. CH.

(3) Quæ de beato Gildardo sequuntur ex opusculo, quod in Appendice legetur, deprompsit Chronici Triplicis compilator. L. D.

NORMANNIÆ

NOVA CHRONICA

AB ANNO CHRISTI CCCCLXXIII AD ANNUM MCCCLXXVIII.

ANN. 473.

Anno CCCCLXXIII. Hoc tempore claruerunt Sanctus Remigius Remensis archiepiscopus, Sanctus Gildardus Rotomagensis archiepiscopus et Sanctus Laudus Constantiensis episcopus quem consecravit Gildardus. Fuit porro ille Gildardus, qui Crescentio successit, frater B. Medardi, quorum vitam magnifico stilo Beatus Fortunatus scribit; una enim die nati fuerunt, una etiam die ordinati, una quoque die migraverunt ad Christum (1).

Vita Beati Gildardi Rotomagensis archiepiscopi et Medardi ejus fratris metrificata a B. Audoeno ejusdem Rotomagi archiepiscopo:

Corpore Gildardus jam fratres atque Medardus
De patre Netardo procedunt jure paterno;
Illorum mater floret Prothagia semper;
In mundum nati mox emeruere renasci;
Innati culpa carnis, baptismatis unda,
Cœlitus adscripti congaudent nomine dicti.
O quam florentes virtutum flore parentes,
Qui prolem talem producunt lucis in aulam!
Virtus cœlestis statum commiserat ipsis;
Servabant pueri tales documenta magistri,
Illorum quoniam dilexit gratia causam;
Qui dedit infantes juvit illos esse docentes
Emeriti sensus, quos lustrat cœlica virtus
Et comes æternus quos replet spiritus almus.
Nam sic Gildardus profecerat atque Medardus.
Tales ergo viros, morum dulcedine miros,
Fratres Gildardum conformes atque Medardum
Laudibus eximiis placeat sustollere cunctis.
Hi veri fratres Christi sub amore calentes,
Ipsos ut sese rectos conantur amare;
Hi sunt Gildardus fratres gemini atque Medardus (2).

(1) Hæc fabella in *Gallia Christiana*, t. XI, c. 10 confutatur; — et in *Actis sanctorum*, mensis junii, t II. p. 67. Quæ, quum per Normanniam quondam celeberrima cucurrit, etiam nunc in ruricolarum nonnullorum memoria asservatur. In quoddam incerti auctoris, sed quem Rotomagi XI^{mo}. XII^{mo}. ve sæculo floruisse conjicimus, opusculum hujuscemodi vulgares irrepsere traditiones. Quum nullam inter *Acta Sanctorum*, loco citato, Gildardi pontificis vitam ad lucem adduxerint Bollandistæ, ineditum adhuc opusculum, quod ex membraneo, XIII^{mo}. sæculo, ut videtur, exarato, codice eruimus, publici juris duximus faciendum, quod pro nimia prolixitate ad Appendicem rejecimus. L. D.

(2) Hic versus et duo sequentes in Orderici Vitalis *Historia ecclesiastica*, edit. A. Le Prevost, t. II, p. 341 inveniuntur.

Una dies utero natos atque una sacratos,
Albis indutos et ab ista carne solutos,
Moribus in placidis stabiles et fœdere pacis,
Fratribus electis vere concordat in istis
Vox nimium sanans Davidica vaticinalis:
Est quia jocundum fratres habitare per unum.
Messyas Christus, sanctorum splendida virtus,
Quidquid adest operis præclari monstrat in ipsis
Et sic Gildardum dilucidat atque Medardum.
O Deus omnipotens, cœlos fulgoribus implens,
Sanctis perpetuam vis esse coronam (1),
Tu quoque Gildardo regnum das atque Medardo,
Consuaves molli sub carnis jure gemelli,
Fratres Gildardus consors simul atque Medardus
Orbi lætitiam cœlesti munere plenam
Donant; huic omnes devoti psallite laudes,
Consimilis Christus genitori sit benedictus,
Ex domino dominus cum solo principe solus,
Qui tam Gildardum confoverat atque Medardum
In cœlo merito cives super æthera notos (2).

Petimus ergo (3) ut illius meritis obtineamus veniam totius criminis nostri, qui sanctorum fretus virtutum incrementis meruit placere conspectibus æterni judicis regis et cujus pro modulo nostræ pravitatis memoriam fecimus in terris, pro peccatis nostris intercessorem et patronum mereamur habere in cœlis præstante gratia nostri redemptoris.

Sepultus est igitur sanctissimus Gildardus in quadam basilica S. Mariæ, quæ nunc dicitur ad Sanctum Gildardum, ibique multo tempore jacuit; in quo etiam loco multa et innumerabilia fecit miracula

(1) Hic versus, quem sic transcripsit Editor, uno pede brevior est; in manuscripto codice, quem nunc conferre non licet, forte legeremus: Sanctis perpetuam vis[civibus *aut* scilicet] esse coronam. A. CH.

(2) Iidem versus in opusculo ms. de quo *supra*, col. 1, note 1, prælaudatum est, occurrunt; quos etiam descripsit ad octavam junii diem R. P. Arturus Du Monstier, in ampla collectione quam *Neustriam Sanctam* nuncupavit, cujusque autographum exemplar in Nationali Parisiensi Bibliotheca asservatur, inter latinos codices sub numero Supplementi 966. L. D. — Versus illi, in quibus syllaba prima pedis tertii cum extrema sexti consonat, *leonini* dicuntur; qua de causa non satis constat. De nominis istius origine vide Edélestand Du Méril, *Poeseos popularis ante sæculum duodecimum latine decantatæ reliquiæ*, in-8°. Paris, 1843, p. 78, note 4. A. CH.

(3) Quæ de beato Gildardo sequuntur ex opusculo, quod in Appendice legetur, deprompsit Chronici Triplicis compilator. L. D.

Christus Deus noster, ad laudem et gloriam nominis sui, qui cum patre et spiritu vivit, dominatur et regnat in æterna sæcula, amen.

Ann. 582.

Anno DLXXXII. Interficitur Prætextatus, Rotomagi archiepiscopus, cui successit Melantius, licet indigne, quia, ut fertur, de necis ejus consensu calumpniatus est (1).

Ann. 640.

Anno DCXL. Eligius Noviomensis, Audoenus, qui et Dudo Rotomagensis clarent episcopi, Philibertus abbas et Richarius Pontiviensis et Germarus Flaviacensis; Andagrisina quoque sacra virgo secus Belluacum (Bellovacum); Ansegisus etiam filius S. Arnulphi clarebat, cui Begga soror Grimoaldi nupserat. Floruit S. Agilus abbas Resbacensis cœnobii, quod B. Audoenus fundavit; hujus B. Philibertus primo monachus exstitit et postea abbas, deinde Gemeticensis monasterii fundator et pater fuit, etiam primus institutor ancillarum Dei in loco qui dicitur *Monasterium-Villare* (2) et Pauliaci (3), ubi et præfecit beatam virginem Austrebertam. Hic beatus pater ex Herio (4) insula, substituto in Gemetico S. Aychardo, quievit in Christo. Floruit etiam eo tempore B. Wandregisilus, Fontanellensis cœnobii fundator et abbas, cui successit S. Lambertus, postea Lugdunensis pontifex, et huic S. Ansbertus, qui ex abbate archiepiscopus Rotomagensis.

Ann. 875.

Hoc anno, secundum Chronicon ecclesiæ Rotomagensis, Rollo cum suis Nortmannis Franciam penetravit XV kalend. decembris.

Ann. 878.

Anno DCCCLXXVIII. Rollo, cum exercitu suo, civitatem Carnotensem obsedit. Sed episcopus ejus urbis Walterus (*vel* Waltennus) nomine, vir religiosissimus, Richardum Burgundiæ ducem, et Ebulum Pictaviensem ducem in suo auxilio provocans, tunicam S. Mariæ virginis in manu ferens, Rollonem ducem metu divino fugavit ac civitatem suam liberavit.

Ann. 937.

Anno DCCCCXXXVII, firmata est amicitia inter Francorum regem Ludovicum et Henricum regem Teuthonum; in quo placito fuit Guillelmus dux Normannorum, et Richardus dux Burgundionum. Willermus vero de placito rediens filium Ludovici Lotharium de sacro fonte levavit apud Laudunum.

Ann. 938.

Anno DCCCCXXXVIII. Hoc tempore baptizavit Henricus præsul sanctissimus Baiocacensis ecclesiæ primum Richardum filium Willermi.

Ann. 944.

Anno DCCCCXLIIII, fuit Herluynus interfectus.

Ann. 948.

Anno DCCCCXLVIII, Ludovicus Rex Francorum, a ducibus suis circumventus, a Normannis capitur et consilio Hugonis Laudunum missus publicæ custodiæ traditur. Karlomannus vero major filius a Nortmannis abductus Rotomagi moritur.

Ann. 949.

Anno DCCCCXLIX, rex Otto, cum triginta duabus legionibus, Franciam ad liberandum Ludovicum adgreditur. Ludovicus ejus metu a custodia liberatur. Rex Otto Laudunum capit; Hugonem intra Parisius concludit; Rhemis capit Hugonis nepotem qui episcopatum usurpaverat, legitimo expulso; legitimum episcopum restituit; usque Rotomagum potenter accedit, et, castellis ac urbibus quas ceperat Ludovico redditis, in Saxoniam [reversus est] (1).

Ann. 972.

Anno DCCCCLXXII Hoc tempore, Danis qui Christum simul ac idola colebant cum Popone altercantibus super cultura Domini et deorum, Danis asserentibus Jesum Christum esse quidem Deum, at suos deos et majores et antiquiores esse. Popone contra affirmante Jesum Christum solum verum esse Deum, unum in substantia, trinum in personis, rex Araldus condixit clerico, ut fidem a se propositam probaret testimonio veritatis; quo annuente clerico, ingentis ponderis ferrum valde ignitum manibus illius ferendum imponit; quod quum clericus usque ad placitum omnium tulisset, absque ulla læsione, rex, penitus abjecta idolatria, se suosque ad colendum unum solum Dominum convertit. Clericus vero ad episcopatum promotus est.

Ann. 999.

Anno DCCCCLXXXXIX, Robertus, Rotomagensis archiepiscopus, vir nobilissimus ac potentissimus, Richardi primi filius. Iste Robertus fuit uxoratus, et ex Herleva conjuge sua tres filios habuit, Richardum, Radulfum et Willelmum. Richardus in comitatu Ebroicarum ei successit, et ex relicta Rogerii de Toenio genuit Guillelmum qui ei successit in comitatu, et unam filiam quæ nupsit Symoni de Monteforti. Radulfus dictus de Waceyo, qui fuit tutor et princeps militiæ magni Willelmi, genuit Robertum de Waceio.

Ann. 1000.

Lodericus abbas Gemeticensis obiit; successit Robertus.

Ann. 1006.

Obiit Heldebertus abbas Sancti Audoeni, qui monasterium illud restauravit, et Theodericus abbas regimen suscepit.

Ann. 1006.

Richardus II cœnobium Fiscampnense, quod pater inchoaverat, perfecit. Hic noctibus custodias famulorum fallens ad matutinas ibat, genua flectens in oratione usque ad lucem. Quadam nocte sic faciens, ostium monasterii invenit obseratum; qui [quo] excusso violenter soporem sacristæ turbavit, qui surgens a somno et videns eum plebeio amictu vestitum, in capillos involat, et multos illi colaphos infregit. Ille, incredibili patientia, nec responsum dedit. Postero die in capitulo querelam deposuit, et monachum illum ad judicium Argencias sibi præcepit occurrere, nuncians se sic vendicare, quod tota de hoc Gallia loqueretur. Die dicto, monachus a judicibus adjudicatus est, quem ille mox absolvit, et vicum eumdem qui optimi vini ferax est, officio sacristæ addixit, pronuntians eum optimum esse mo-

(1) Anni non consentiunt. Plerique Prætextatum asserunt anno DLXXXV occisum fuisse.
(2) Hodie *Montivilliers* juxta Franciscopolim (Le Hâvre).
(3) Hodie *Pavilly*, quatuor fere leuci a Rotomago.
(4) Hodie *Noirmoutiers*.

(1) Postrema verba desiderantur.

nachum qui bene custodiret munus injunctum (1). Iste jussit se sepeliri ante ostium ecclesiæ, ut ab omnibus conculcaretur ac super deplueret (2), quem postea Willelmus abbas ante altare locavit (3).

Ann. 1012.

Mortuo Adelred (Ethelred II) filio Eduardi regis Anglorum, successit ei Edmundus filius ejus juvenis fortissimus, qui regnavit uno anno et proditione occisus est.

Ann. 1015.

Anno MXV, Robertus abbas Gemeticensis obiit, successit Willelmus.

Ann. 1016.

Simeon, Syracusis Siciliæ oriundus et monachus in monte Sina, hoc tempore clarebat, qui, Jherosolymam veniens, longam pro Christo peregrinationem suscepit, et cum Popone Treverorum archiepiscopo ad Gallias veniens Treveris in altitudine turris inclusus est, ibique, post multas Dæmonum tentationes, beato fine quievit. Cujus merita frequens miraculorum gloria declaravit. Hic reliquias Sanctæ Katarinæ cum oleo liquatæ secum de monte Sinay asportavit in Normanniam, quas Ecclesiæ Sanctæ Trinitatis de monte Rothomagi collocavit.

Ann. 1023.

Hortatu B. Symeonis, monachi de monte Sinay, cœpit Goscelynus vicecomes fundare monasterium Sanctæ Trinitatis de monte Rotomagi, in quo Robertus, dux Normannorum, pater Willelmi Angliæ conquisitoris, posuit primum lapidem et locum contulit et multa jura religiosis ibidem Deo servientibus, ad B. Katarinæ laudem, largitus est (1).

Ann. 1030.

Anno MXXX, obiit Willelmus abbas Fiscampni. In hoc anno fundata est abbatia S. Katarinæ Rotomagi. et dedicata in crastino Assumptionis Sanctæ Mariæ Virginis, eodem anno aut sequente secundum Chronicon Ecclesiæ Rotomagi.

Ann. 1031.

Anno MXXXI, erat eo tempore quidam regni primatum tenens Goscelynus nomine, patruus Godefridi, patris Willelmi de Archis, patris Mathildis, uxoris Willelmi camerarii (2), de qua genuit Rabel camerarium de Tancarvilla, vicecomes Rotomagensis scilicet et Archacensis, incluti marchionis Roberti (3) a secretis et familiarissimis, tum pro sui nobilitate et prudentia, tum etiam pro sui fidelitate et amicitia sibi jam dudum exhibita. Defuncto namque prædicti Roberti germano, Richardo scilicet, quum ad Rotomagensem metropolim, quæ caput Neustriæ est, jam dictus Robertus cum suo exercitu devenisset, cives ejusdem urbis ad invicem conspirantes et eum ducem habere nolentes, arma corripiunt, Sequanæ pontem destruunt, portas omnesque aditus per circuitum civitatis occludunt (4). Goscelinus vero salubri usus consilio, ubi opportunitatem reperit, cum suis militibus dominum suum gratanter excepit, et, divina miserante clementia, civium furentium animos mitigavit et cunctos ad pacem et concordiam revocans domino suo reconciliavit. Omnibus igitur pacificatis et pacifice compositis, prælibatus comes ipsum qui signifer et caput exstitit seditionis et malefactionis, nomine Corbnizionem (5), patris sui quemdam cubicularium, gladio puniri præcepit; sed, interveniente Goscelyno, vitam ei concessit, quem, cum liberis et omni facultate, interventoris sui servitio in perpetuum tradidit.

Hic vero Goscelynus, una cum venerabili conjuge sua, vocabulo Emmelyna, licet sæculi opibus et honore insignes haberentur, nullo tamen ex hoc superbiæ fastu tumebant, sed superiorum accensi desiderio magis cœlestis quam terrenæ dignitatis gloriam affectabant. Erant enim inopum et peregrinorum cultores assidui, xenodochiorum et monasteriorum fundatores devoti, cæterisque bonis operibus jugiter intenti. Inter quæ in illis fere diebus gloriosus heros Goscelynus, favore prædicti principis hortatu etiam et admonitione cujusdam sancti viri, nomine Symeonis, de quo supra dictum est, qui jam venerat in Normanniam de monte Sinay cum quatuor aliis mo-

(1) Has circumstancias, si non veras, acuto certe confictas ingenio, retulit Willelmus Malmesburiensis, libro secundo *De gestis regum Angliæ*, ap. Savile, p. 70. Ex charta quam typis mandavit A. Du Monstier in *Neustria pia*, p. 216, compertum habemus Ricardum Normannorum ducem monachis Fiscannensibus in perpetuam dedisse elemosinam « Argencias cum ecclesia, terris cultis et incultis, pratis, vineis, sylvis, molendinis, aquis aquarumve decursibus. » Argenciarum (nunc *Argences* haud longe a Cadomo) vineæ quondam celeberrimæ claruerunt. L. D. — Quod adhuc hodie vinetum solum in Normannia perstat, cæteris jamdudum exstirpatis; sed qualis inde liquor proveniat, e regionis situ et temperie satis liquet. Cæterum ex plurimis documentis constat vitem tunc temporis et in Anglia cultam, ubi vina affluebant, Franciæ, Italiæ et Græciæ vinis, ut saltem Anglici volunt scriptores, haud inferiora. Cf. *Histoire littéraire de la France*, t. VIII, p. 665. A. CH.

(2) Non dissimili modo, anno MCXIII terræ mandatum est corpus Gaufridi Constantiensis episcopi, de quo legitur in opusculo, quod ex *Libro Nigro* ejusdem ecclesie ediderunt collectores *Galliæ Christianæ*, t. XI, inter instrumenta Constantiensis diocesis, n°. 1 : « Celebratis divinis mysteriis, omnibusque rite dispositis, sepelierunt eum honorifice in stillicidio ecclesiæ, sicut ipse præceperat vivens adhuc in corpore. » L. D.

(3) In quodam regestro, quod magistro amicoque nostro Augusto Le Prevost Dominus Germain, Fiscannensis, communicavit, folio 90, transcriptum legitur instrumentum ex quo patet anno 1518, die 28 Augusti, altare majus ecclesie Fiscannensis apertum fuisse, sub quo, antiquitate corruptæ, nonnullisque locis perforatæ, jacebant duæ plumbeæ arculæ, quibus clausa erant ossa duorum Normanniæ ducum, utriusque Ricardi nomine. Plumbeæ laminæ insculptum sic se habebat Ricardi II epitaphium :

Heu dux Richardus jacet hac sub mole secundus,
Arma decusque suis fama procul positis. L. D.

(1) Iste Robertus, anno tantum MXXVII, rerum in Normannia potitus est.

(2) De eodem Willelmo videas luculentum amici nostri A. Deville librum cui titulus : *Histoire du château et des sires de Tancarville*, p. 120. Cf. Willelmum Gemeticensem, l. VIII, c. XXXVII, cujus verba adducit A. Du Monstier in *Neustria pia*, p. 408. L. D.

(3) Robertus dux Normannorum, vulgo *Robertus Diabolus*.

(4) Hos Rotomagi motus nusquam in alio scriptore narratos reperi.

(5) *Corbnizionem*. De isto Corbuzzone, cujus nomen ex *Chartulario sancte Trinitatis Rotomagensis*, foliis 424, 458 et 459, atque ex *Libro censuali*, vulgo *Domesday-Book*, satis notum versatur, adeas librum cui flebilis memoriæ Dominus Johannes Gage titulum præfixit *The history and antiquities of Suffolk. Thingoe hundred*, ad vocem *Brockley*, f. 348 et 349. L. D.

nachis (1), tempore Richardi II patris jam dicti Roberti marchisi, quatenus aliqua largitatis suæ munera ad restaurationem sui monasterii et victus subsidia elargiri dignaretur. Hic prædictus Symeon reliquias Sanctæ Katarinæ de monte Sinay secum detulerat manensque biennium apud præfatum Goscelynum ejusque animatus consiliis, in monte Rotomagensi ad Orientalem urbis plagam monasterium cœnobiale, collecta manu artificum, cœpit ædificare. Exhinc fama ventilante cujusdam viri religiosi, Isemberti nomine, genere Teutonici, tam divinis quam humanis litteris eruditissimi, et in omni religione perfectissimi, qui in cœnobio S. Audoeni præfatæ urbis, sub abbate ejusdem loci Henrico, professus fuerat monachus, ejus meritum sapientiamque agnoscens prædictus Goscelynus ab abbate Henrico, ut sibi ad regendum quod parabat cœnobium [daretur], obtinuit. Quem ad curiam ducens principis obtutibus præsentavit. At ille, jamdudum ejus præconii opinione comperta, illico ex more baculum pastoralem tradidit, qui post hoc in monasterio Fontanellensi, die dedicationis ejusdem ecclesiæ, inter sacra missarum solennia, a venerabili viro sanctæ Rotomagensis ecclesiæ archiepiscopo, nomine Roberto, benedictionem accepit a domino et misericordiam a Deo salutari suo. Tunc ille cum eximiæ sanctitatis viro Gradulfo, prædicti cœnobii abbate, qui cum eo et aliquibus monachis ad montem properavit, a spinis et rudibus omnique spurcitia cespite emundato et in planitiem adducto, habitacula suorum domini usibus congrua, pro situ loci et opportunitate, construit.

« Nunc operæ pretium et posterorum notitiæ tradere condignum quomodo sancta et individua Trinitas idem templum nomini suo consecrari voluit ibidemque specialiter coli et adorari elegerit. Postquam igitur prædictus bonæ memoriæ Goscelinus vicecomes in ecclesiæ constructione votum compleverat, illam in honore sancti martyris Antonini, in cujus veneratione plurimum devotus extiterat, xvii kal. septembr. dedicari decrevit. Ille namque dies ad tam solenne sacramentum peragendum ideo præelectus ut Robertus inclytus dux cæterique nobiles suæ ditionis proceres, qui præcedenti die ad venerandam gloriosæ Virginis Mariæ assumptionem Rotomagi convenerant, una cum Roberto archiepiscopo, ad cujus authoritatem dedicatio pertinebat, aliisque coepiscopis interessent. Die igitur præfinito imminente innumeroque utriusque sexus, [omnisque] ordinis et ætatis populo confluente, aderat etiam vir vitæ laudabilis Gradulphus cœnobii Fontanellensis pater egregius, qui divino, ut credimus, nutu, cæteris maturius ad auroram consurgens et in templi porticu deambulando progrediens ecce videt subito quemdam veneranda canitie et venusto aspectu peregrinum, quumque eum allocuturus de more præmisisset: *Benedicite*, peregrino statim *Dominus* respondente, ait: « Ut quid, peregrine frater, tam matutinus advenisti. » Cui ille respondit: « Audiens, inquit, hujus ecclesiæ consecrationem fieri debere hodie, ut intersim adveni. Sed scire desidero ex cujus Sanctorum debeat intitulari nomine. » Et abbas: « Hujus, inquit, templi fundator et advocatus in sua firma habet dispositione ut in honore S. Antonini martyris dedicetur. » — « Laudabilis, inquit peregrinus, et justus talis voluntatis affectus, sed longe laudabilior et justior, et ad majorem peccatorum remissionem consequendam satis efficacior esset, si in nomine summæ et individuæ Trinitatis, patris scilicet et filii et spiritus sancti, et in honore Dei genitricis Mariæ omniumque Sanctorum consecrari faceret. » Quod vir inclytus audiens et approbans: « Benedictus, inquit, sis, frater, qui boni consilii bajulus advenisti. » Statimque contra faciem crucifixi conversus, inclinatoque capite pro tam felici consilio Deum veneratus, et quum adhuc conveniret, ora retorsit, jamque quem in habitu peregrini viderat non comperit. Animadvertens igitur hunc divinum nuntium esse universis qui ad festinum diem adcurrerant, visionem cœlestem seriatim pandere curavit, quibus si quidem viri verbis tam pro ordinis dignitate quam sanctitate religionis fidem adhibentibus, et supernæ dispositionis esse arbitrati et contradicere non audentibus, annuente Goscelyno vicecomite, templum quod construxerat Roberti archipræsulis officio et authoritate, in honore summæ Trinitatis sanctæque Dei genitricis Mariæ et omnium Sanctorum consecratum est, anno ab incarnatione Domini m°xxx°, præsente duce inclyto Normannorum Roberto cum suis optimatibus, et plebis utriusque multitudine copiosa. Porro in hoc clarissimo conventu illustris vir Goscelynus una cum conjuge sua fecerat testamentum ex propriis rebus seu prædiis, quæ eidem cœnobio, ad usus monachorum, jure hæreditario, contulerunt coram ipso duce Roberto et ejus optimatibus, quorum donationi idem gloriosus princeps libentissime annuit suæque authoritatis sigillo privilegii scriptum corroboravit (1). Extructo igitur, ut prædictum est, monasterio, Beatus Symeon pretiosissimas gloriosæ virginis et martyris Katerinæ reliquias, quas antea a monte Sinay detulerat, tres scilicet minores articulorum juncturas, cum liquante oleo, in vase vitri, quo etiam adhuc continetur, memorato viro Goscelyno et ejus serenissimæ uxori Emmelinæ, sicut ante promiserat, ad decorem et honorem ipsius ecclesiæ condonavit. Quas deinde abbas venerabilis Isembertus, una cum fratribus, ab iis cum ingenti gaudio et reverentia suscipiens, honorifice in eadem ecclesia æternaliter adorandas collocavit. Igitur divinus Isembertus, hujus loci primus abbas et rector, spiritus sancti gratia laudabiliter rexit monasterium; et quia in liberalibus disciplinis nulli suo tempore inferior habebatur, quum jam esset adhuc apud S. Audoenum, ab abbate Henrico et fratribus obnixe rogatus, historiam B. Audoeni dulci modulamine composuit (2) et Beati Nicolai (3) necdum apud nos auditam cantando

(1) Cf. Radulphum Glaberiensem ap. *Script. rer. Gallic.*, t. X, p. 10.

(1) Arturus Du Monstier in ms. *Neustria sancta*, ad 24 augusti diem, metrificatam Beati Audoeni vitam descripsit. L. D.

(2) Non ante XI sæculum venerandi pontificis Nicolai fama Normanniam invasit; cujus vero cultus hac in regione adeo invaluit, ut hinc et illinc in ejus honorem exstructa fuerint famosa oratoria. Quin etiam metrico et soluto latino vulgarique sermone ejus laudes apud Normannos cecinere nonnulli auctores. Inter quos operæ pretium est hic annotare duas ineditas miraculorum collectiones: unam in Bibliotheca Alenconiensi servatam, teste claro viro Felice Ravaisson (*Rapports sur les bibliothèques de l'ouest*, p. 259); alteram, quæ a priore haud multum differre videtur, in membraneo codice, XIIme. sæculo exarato, Bibliothecæ Ebroicensis catalogo sub numero 132 inscripto, invenimus. Sic exoritur ipse tractatus: « Incipiunt miracula de Sancto Nicholao episcopo et confessore, edita a quodam monacho ecclesiæ Becci, etc. » In hoc opusculo, quod anno circiter 1125 redactum est, plures locos, ad antiquos Normannorum usus explanandos perutiles, notavimus quos publici juris facere, ubi primum aderit occasio, destinamus. L. D.

(3) Cf. *Latina quæ medium per ævum vulgabantur carmina*, collecta ab Edelest. Du Méril, Ebroicis MDCCCXLVII, p. 54 et sqq. Hic habes quamdam de Sancto Nicolao cantilenam, quæ forsan eadem est ac populare carmen ab Isemberto modulatum.

populavit, unde plurimi asseverant ab eo editam fuisse, sed humilitatis gratia id profiteri noluisse. Post hoc autem, quum jam ecclesiæ Sanctæ Trinitatis regimen assumpsisset, inclytus princeps Robertus, comperto tanti viri ingenio, nepotulum suum nomine Nicolaum, Richardi sui fratris filium, ei tradidit erudiendum, qui succedente tempore, in B. Petri Sanctique Audoeni Rotomagensis cœnobio abbas effectus, locum ipsum prædiis et honoribus ampliavit; ecclesiam magnitudine et venustate præclaram a primo lapide Nicolaus, magna ex parte, construxit, quam morte præventus aliis consummandam reliquit. Goscelynus vicecomes filium suum Hugonem ejus magisterio commisit, qui postea, relicto sæculo, monachum induit, et in sancto proposito vitam finivit. Lambertus filius Osberni de Augo et Theobaldus Bame (?) ejus se disciplinatui subdiderunt, qui ambo probitatis et scientiæ privilegio claruerunt. Durandus, nepos abbatis Geraldi, Sancti Wandregisilii a pueritia monachus, ejus fuit discipulus et auditor, quem tam in philosophia (1) quam in arte musica cum divinæ legis notitia peritissimum reddidit. Hic pleraque sanctæ ecclesiæ utilia exaravit, inter quæ unum volumen de corpore et sanguine Domini, prius prosa, deinde versu digessit; pluresque Sanctorum historias composuit. Qui in Troarnensi cœnobio ad abbatis officium promotus diutius præfuit, ubi et ecclesiam laudabili opere construxit pluraque Deo digna exercuit (2). Præter hos et alii plures piæ conversationis exemplum sumpserunt. Aliqui vero ad ecclesiasticum regimen promoti cum doctrinæ scientia vitæ munditia claruerunt. Ex his fuit Ainardus Teutonicus, liberalium artium peritia et in musica doctissimus, quem in cœnobio super fluvium Divæ in possessione nobilissimæ comitissæ de Augo, quæ Lisselina (3) vocabatur, a se decenter instructo, abbatem instituit (4); Osbernus quoque, qui, cum Vimundo sanctitate et sapientia magnifico, Beati Benedicti habitum et normam in ejus præsentia suscepit, et in monasterio Sancti Ebrulfi strenue abbatis gerens officium vitam ibi consummavit. Succedentibus igitur annis, prælibatus heros Goscelynus fundator cœnobiorum Sanctæ Trinitatis in monte Sanctique Amandi urbis Rotomagensis, postquam ducibus Normanniæ fideliter militaverat, in Christi militiam venit, et, relictis quæ sunt sæculi, præsente abbate Ysemberto promeruit monachari, exemplo Abrahæ terram suam relinquens et eam hæreditario jure Christo concedens, qui in eodem sanctæ religionis habitu biennio supervixit. Quod quidem cœnobium inceptum est anno Domini mxxxiii°. completumque anno mxxx°.; sicque sex annis extructum fuit opus prædictum.

(1) Notandum, quoad historiam nominis *philosophiæ* in media ætate, musicam a philosophia hic distractam, quum alias quadrivium, cujus pars musica est, ipsa philosophia sit. Cf. *Elementa philosophiæ*, lib. IV, inter Venerabilis Bedæ *Opera*, 8 vol. in fol. Coloniæ Agrippinæ, 1688, t. II, p. 229-230. Quæ *Elementa*, si credas auctoribus *Historiæ literariæ Galliarum* (t. XII, p. 457) et doctissimo viro Thomæ Wright (in *Biographiæ Britannica literaria*, Anglo-Norman Period, p. 175) Guillelmo de Conchis, Abælardi coætaneo, sunt restituenda. A. CH.

(2) De Durando Troarnensi cf. *Gall. Christ.*, t. XI, p. 416 et *Historiam literariam Galliarum*, t. VIII, p. 239. Dacherius, ad Lanfranci Operum calcem, Durandi tractatum *De corpore et sanguine Domini* edidit, sed non illud metricum opus, de quo in nostris Chronicis agitur.—Cf. et nostram *Lanfranci Biographiam*, in-8°., p. 48. A. CH.

(3) *Lescelina* in *Gall. Christ.*, t. XI, p. 728, E.

(4) De Ainardo, cf. *Gall. Christ.*, t. XI, p. 729, D.

ANN. 1035.

Ann. MXXXV, Robertus Guischard et Richardus de Quadrellis, minuendæ domo multitudinis causa, hoc tempore a Normannia Francorum digressi, Apuliam expetunt, et, Italis inter se dissidentibus, dum alteri contra alterum auxilium præstant, hac opportunitate Italos callide et fortiter debellant, et successus urgendo suos nomen suum dilatant et futuræ prosperitatis sibi viam parant.

Ricardus III fuit venenatus a fratre suo Roberto, unde ipse Robertus post octo annos Hierosolymam perrexit, qui demum revertens apud Nycæam Bitryniæ veneno interceptus est.

ANN. 1036.

Hoc tempore in Apulia erat quædam statua marmorea circa caput suum æreum habens circulum, in quo erat scriptum; « *Kalendis maii, oriente sole, habebo caput aureum.* » Quod quidam Sarracenus a Roberto Wiscardo captus quid portenderet intelligens, in kalendis maii, oriente sole, et diligenter notato termino umbræ illius statuæ, infinitum thesaurum, effossâ ibidem humo, reperit, quam (quem) pro suâ redemptione eidem duci obtulit.

ANN. 1037.

Ann. MXXXVII, obiit Willelmus abbas Gemeticensis. Cui successit Robertus prior Sancti Audoeni Rotomagensis.

ANN. 1042.

Anno MXLII, tempore Willelmi ducis, claruit Lanfrancus, Papia civitate Italiæ oriundus, omni scientia sæculari perfecte imbutus, Alpes transgressus in Nortmanniam venit, et in Abrincatensi civitate aliquandiu docuit; deinde mortalium auram captare vanitatem esse considerans consilium salutis arripuit et statuit ut omnia propter eum relinqueret qui omnia fecit, quumque ille ire vellet Rotomagum, vespere in sylva ultra fluvium Rislam (1) incidit in latrones, qui cuncta quæ habebat tollentes, ligatis a tergo manibus, et capicio capæ ante oculos amoto adduxerunt eum de via et inter condensa saltus fructeta dimiserunt. Talibus angustiis comprehensus nescius quid ageret infortunium suum lamentabatur; tandem nocturno silentio in se reversus et ad Deum conversus ait: « Domine Deùs, tantum tempus in discendo expendi et corpus animumque in studiis litterarum attrivi, et adhuc quomodo debeam te orare et laudare non didici. Libera me de hac tribulatione, et ego sic vitam corrigere et instruere curabo, ut tibi servire valeam et sciam ». Surgente aurora, audivit viatores iter carpentes et cœpit ab eis vociferando auxilium petere, qui accedentes et eum solventes reduxerunt ad viam. Rogavit autem ut vilius et pauperius cœnobium quod in regione noscerent sibi demonstrarent. Nolebat enim adire locum ubi litterati essent qui eum honori et reverentiæ haberent. Igitur de consilio eorum Beccum adiit, ubi venerabilis abbas Herluynus, ejusdem cœnobii fundator ac nuper ex grandævo milite in clericum promotus, eum cum gaudio suscepit. Qui monachus effectus in discendis officiis curam maximam impendebat ut sciret Deo laudes persolvere. Sic per tres annos vixit gaudens quod nesciebatur, fere ab omnibus ignotus cum vilitate et extremitate in cœnobio contentus, et, ut fertur, lectionem nolebat in ecclesia legere nisi prius cantor eum audisset. Quadam etiam die, dum ad mensam legeret, quiddam inter legendum dixit sicut dicere debuit, quod præsidenti non placuit, et aliter jussit,

(1) Fluviolus qui Sequanæ ad Quillebovium confluit.

veluti si dixisset *docère*, media producta, et jussisset eam breviari. Non enim prior ille litteratus erat. Sed vir sapiens et sciens magis obedientiam Christo deberi quam Donato, dimisit quod bene pronuntiaverat, et dixit quod non recte dicere jubebat. Quum autem rumor et fama vici longe lateque percrebuisset, clerici occurrerunt illo de licentia abbatis sui scolam tenente. Laici quoque potentes et nobiles multa pro ejus amore eidem ecclesiæ contulerunt. Hic Lanfrancus prius, ut dictum est, monachus et prior Beccensis, deinde primus abbas Cadomensis, ad ultimum præfuit archiepiscopatui Cantuariensi xix annis. Hic inter alia bona majorem ecclesiam præter presbyterium renovavit, officinas monachorum novas ædificavit, dignitates ecclesiæ Cantuariensis reformavit, terras multas ablatas in jus ecclesiæ revocavit, xxv maneria eidem ecclesiæ restituit (1), xenodochia duo extra civitatem ædificavit, quibus de suo annuo reditu delegavit, ecclesiam Roffensem instauravit, et in ea episcopum ordinavit Beccensem monachum Hernostum in cujus consecratione inventus est Evangelii versus : *Cito proferte stolam*, etc. Quod quum audisset Lanfrancus, prædixit eum cito moriturum ; et sic contigit, nondum anno completo. Cui successit Gundulfus et ipse Beccensis monachus, vir Deo amabilis et religiosus. Abbatiam quoque Sancti Albani restituit in pristinum statum, in qua posuit abbatem Paulum Cadomensem monachum, qui ibi ordinem Becci et usum instituit ecclesiasticum. Quum Guillelmus rex morabatur in Nortmannia, Lanfrancus erat princeps et custos Angliæ, lectioni assiduus, scripturas corrigens; hujus emendationis claritate omnis occidui orbis ecclesia Gallicana et Anglica gaudet se illuminatam (2). Ita fuit liberalis ut diceretur de Italia tam largum nullum Lombardum egressum fuisse. Ipse enim ditatus multis possessionibus paupertatem retinebat in vilitate habitus, parcimoniam tuens inter multimodas delicias; pauperibus erat ita dapsilis ut quingentas libras quotannis in eleemosynam erogasse dicatur, et merito; nam in consecratione ejus repertum est super caput ejus Evangelium Domini dictum : « Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. » Suorum monachorum consanguineis indigentibus quam benigne, quam sufficienter beneficia impendebat (3) !

Ann. 1042.

Anno MXLII, fuit magna hominum mortalitas.

(1) « In maneriis ad archiepiscopatum pertinentibus multas et honestas ecclesias ædificavit [Lanfrancus]. » Ita legitur folio 168 V°. cujusdam XII°. sæculo manuscripti codicis inter Cottonianos sub signo Claudius. C. VI. repositi, ex quo prædicta delibavit Thomas Wright, apud *The Journal of the british archæological Association*, t. I, p. 25. L. D.

(2) Hanc scripturarum emendationem Lanfranco vitio datam fuisse miror equidem, et doctissimus historicus qui Lanfrancum asserit XI°. sæculo vituperatum fuisse utpote qui scripturas adulteravit, non videtur certo testimonio allegata confirmare. Aug. Thierry, *Histoire de la conquête de l'Angleterre*, t. II, p. 159, 3°. édit. — Cf. et nostram *Lanfranci Biographiam*, ap. *Mémoires de la Société des Antiquaires de Normandie*, t. XVII, p. 531, note 78. A. CH. — Hanc vocem (corrigens) peculiariter animadvertendam censemus, quum, in antiquo ms. Cassiani Collationum exemplari, in Alenconiensi Bibliotheca servato, Lanfrancus ipse, ut videtur, ad superiorem ultimi folii marginem hanc apposuerit notulam : HUC USQUE CORREXI. M. Ravaisson, *Rapports*, p. 259. L. D.

(3) Vide *supra*, p. XIV et XV.

Ann. 1042.

Anno MXLII, circa hoc tempus fundatum est monasterium Beatæ Mariæ de Corneliis a Willelmo filio Osberni (1).

Ann. 1045.

Anno MXLV, Godefridus regimen Gemetici suscepit. Robertus enim Londoniorum episcopus electus est, et postea Cantuariorum archiepiscopus fuit.

Dominus Goscelynus habitum monachalem suscepit in ecclesia Sanctæ Trinitatis de monte, quam ipse a primo lapide fundavit et biennio supervixit.

Ann. 1046.

Anno MXLVI, fundatum est cœnobium Sanctæ Mariæ supra Divam a Lezelina comitissa Augi. Primus abbas fuit Aynardus Sanctæ Trinitatis Rotomagensis monachus.

Ann. 1047.

Anno MXLVII, fundatum est monasterium de Lyra.

Ann. 1050.

Anno ML, obiit Ysembertus primus abbas Sanctæ Trinitatis, cui successit Raynerius decanus Rotomagi.

Hoc anno, fundatum est cœnobium Sancti Michaelis Ulterioris portus a Roberto Augensi comite; primus abbas Robertus monachus Sanctæ Trinitatis Rotomagi (2).

Mortuo Godofredo, apud Gemeticum, successit ei Robertus ejusdem loci monachus.

Eodem anno, Leo papa, dum Normannos a Romanorum terminis deturbare satagit, multam calamitatem incurrit, quia cum multis ipse capitur nec relaxari voluit, nisi etiam suis relaxatis (3). Fugatus est imperator; deinde dux Godofredus venit in Italiam, et insecuti sunt eum Nortmanni a Roma usque ad Aquinum.

Ann. 1051.

Anno MLI, Franciæ turbatur Ecclesia per Berengarium Turonensem qui asserebat Eucharistiam quam sumimus in altari, non esse revera corpus et sanguinem Christi, sed figuram corporis et sanguinis Christi (4). Unde contra eum multum a multis et verbis et scriptis disputatum est; inter quos dominus Wimundus monachus de cruce Sancti Leufredi contra eum *De corpore et sanguine Christi* elegantem edidit librum. Lanfrancus etiam Papiensis, primum monachus Beccensis, deinde archiepiscopus Cantuariensis, omnibus luculentius et mirabilius librum super hac re contra eum composuit, in quo singulis illius quæstionibus et oppositionibus (*vel* propositionibus) laudabiliter respondit, male dicta ab eo et intellecta, scripturarum testimoniis divinarum, in probando (*vel* improbando) convincens (5).

(1) Cf. *Galliam Christianam*, t. XI, p. 846, D. Annus fundati monasterii Galliæ Christianæ doctissimos auctores fugit.

(2) Annum fundati monasterii incompertum habeat Mabillonius (*Annales Bened.*, t. IV, p. 595), et *Galliæ Christianæ auctores*, t. XI, p. 244-245.

(3) Eadem habes in Sigeberti *Chronicis* ad ann. 1050. Sequentia vero a Sigeberto omissa sunt.

(4) Huc usque consentit Sigeberti *Chronicon*. Posteriora desiderantur.

(5) Cf. Lanfranci *Opera* a Dacherio edita, — et nostram Lanfranci Biographiam ap. *Mémoires de la Société des Antiquaires de Normandie*, t. XVII, p. 580 et 581. A. CH.

ANN. 1060.

Anno MLX, ordinatus est Joannes Abrincensis episcopus, mense septembri.

ANN. 1063.

Anno MXLIII, prima die octobris, dedicatio Sanctæ Mariæ Rotomagensis ecclesiæ.

Quum jam, Henrico Francorum rege defuncto, Philippus filius ejus regnaret, Willelmus, dux Normannorum, subjugavit sibi Cœnomaniam.

Heraldus tunc temporis transiens in Flandriam, tempestate compulsus venit in Pontivam provinciam, quem captum consul Pontivus Willelmo duci Normannorum reddidit. Heraldus autem juravit Willelmo super reliquias Sanctorum multas et electissimas se filiam ejus ducturum et Angliam post mortem Eduardi ad opus ejus servaturum. Summo igitur honore susceptus et muneribus amplis ditatus, quum reversus in Angliam esset, perjurii crimen elegit. Nam, mortuo Eduardo rege Anglorum, qui hæredem suum fecerat Willelmum ducem, regnum ejus invasit.

ANN. 1067.

Anno MLXVII, Willelmus, dux et rex Anglorum, eodem anno mare transiit, in Normanniam ducens secum obsides et thesauros, et interfuit dedicationi Sanctæ Mariæ Gemeticensis.

Eodem anno, multi, usque ad vii millia, orandi voto, petentes Jerusalem, ab Arabicis in Parasceve, in quodam castello obsessi sunt, et tot occisi sunt aut vulnerati, ut de septem et eo amplius millibus vix duo millia reversi sint.

ANN. 1068.

Anno MLXVIII, hinc Francis, hinc Scotis, Angliam incursantibus, Angli fame consumuntur. Multi eorum humanis carnibus vescuntur.

ANN. 1069.

Anno MLXIX, Guido Belvacensis episcopus duobus annis perfectam ecclesiam in honorem advocati sui Quintini martyris, quarto nonas octobris dedicavit.

Eodem anno, Willelmus, rex Anglorum, quum esset in villa quæ anglice Guentho (1) dicitur, consilio nobilis viri Willelmi, filii Osberni dapiferi, domno Ranerio, abbati Sanctæ Trinitatis, et monachis ibidem Domino famulantibus villam de Hermodesodes (2) cum pertinentiis dedit. Hæc donatio facta est per quemdam cultellum (3), quem rex jocularIter tendens abbati quasi volens in palmam ejus infigere: « Sic, inquit, terra tibi debet dari. » Et hoc, præsente Willelmo præfato, cæterisque optimatibus, qui prædictæ donationi subscripserunt. Villam de Tyge Wigo dedit nobis et ecclesiam Ysbertus de Lacelo.

ANN. 1076.

Anno MLXXVI, fuit principium ordinis Grandimontensis (1), quem Sanctus Stephanus, ex Arvernia terra ortus, instituit in provincia Lemovicensi.

Richardus in Frizonia Godefridum ducem perimit. Balduynus puer, frater Arnulfi occisi ad Dovergium bellavit contra exercitum patrui sui Roberti, quem pugnando devicit.

Gelu magnum, glacies validissima, a kalendis novembris, usque in medium aprilis.

Hoc anno, fundatum est monasterium Beatæ Mariæ de Yverio a domino Rogerio, pincerna domini Willelmi regis et ducis Normannorum (2).

ANN. 1077.

Anno MLXXVII, obiit domnus Ranerius, abbas (Sanctæ Trinitatis de monte Rotomagi), sanctus vir et ipse litteratus et admodum religiosus, in festo Sanctæ Potentianæ, xiiii kalend. junii (3), cui successit piæ memoriæ domnus Walterius monachus et cantor celeberrimus Sancti Wandregisilii, qui majorem ecclesiam Sanctæ Trinitatis a primo lapide inchoavit, prædictum locum rebus et possessionibus non modicum ampliavit gregemque sibi commissum usque ad finem laudabiliter rexit (4).

ANN. 1079.

Anno MLXXIX, obiit Robertus Gemeticensis, cui successit Gundardus (5). Hoc tempore, Turci super Arabes et Sarracenos invaluerunt, et Armeniam Syriamque incursantes multas urbes et ipsam Antiochiam ceperunt.

ANN. 1081.

Anno MLXXXI, ventus vehemens in nocte dominicæ nativitatis (6).

ANN. 1082.

Anno MLXXXII, Marianus Scotus Chronicon suum a Christi nativitate inchoatum usque ad hunc annum produxit, qui erat ætatis suæ annus lvi, multum laborans errorem corrigere de annis Domini, qui invenitur in cyclo Dionysii.

ANN. 1085.

Anno MLXXXV, pestes infirmitatis et famis An-

(1) Cf. *Cartularium Sanctæ Catharinæ* a D. Ach. Deville editum ad calcem *Cartularii Sithiensis*, inter *Documenta inedita historiæ Gallicæ*.—In *Cartulario*, fol. 455, legitur *Guertiha* (hodie *Winchester*); sed mendose; rectius *Guentha* apud desiderandum virum Thomam Stapleton, qui laudatam Willelmi ducis chartam vulgavit, in observationibus eruditissimis, quibus *Magn. Rot. Scacc. Norm. illustravit*, t. I, p. XVII. L. D.

(2) Hoc nomen e cartulario supra laudato deprompsi; in ms. codice *hermordelorword* legitur; quod prorsus corruptum est.

(3) De illa per cultellum investitura cf. *supra*, p. XV, note 16. A. CH.

(1) Miramur quod, quum in *Normanniæ novis Chronicis* annus instituti ordinis Grandimontensis annotatus fuerit, in iisdem Bonorum Hominum in Rotomagi parco congregatorum ne ulla quidem occurrat mentio. Hujus domus, antiquitus Nostræ Dominæ de Parco dictæ, originem ad julii tertiam diem anno 1150 retulit T. Duplessis (*Description historique de la Haute-Normandie*, t. II, p. 59). Eamdem sententiam protulit Ducarel, ap. *Antiquités Anglo-Normandes*, p. 54, n°. 2, translationis quam amicus noster dominus Léchaudé d'Anisy concinnavit. Thomas autem Stapleton eam non ante annum 1180 fundatam fuisse opinatur, in *Magnis Rotulis Scaccarii Normanniæ*, t. II, p. CLXIX. Utut sit, ab Henrico II accessiti venerunt Grandimontenses; cujus principis hac de re litterarum exemplar, dubiæ quidem fidei in Parisiensis Chartarum Thesauri Registro VI^xxII, sub numero ccclxxiiii, nacti sumus. L. D.

(2) Cf. *Galliam Christian.*, t. XI, p. 652, B. Hoc monasterium anno 1071 fundatum asserunt Benedictini.

(3) Legitur in margine: « S. Pudentiana, 19 maii, ex martyrol. Romano. »

(4) Hic dubitat *Gallia Christiana* (t. XI, p. 126, D.); nec Walteri seu Galteri annos compertos habuit.

(5) *Gallia Christiana* (t. XI, p. 194, D.), anno 1072, ex Orderico Vitali, mortem Roberti Gemeticensis narrat; sed additis verbis: *ut videtur*, quæ satis doctissimorum auctorum dubitationem ostendunt.

(6) Ejusdem venti mentio habetur in *Chronico Uticensi*, apud D. Bouquet, t. XII, p. 773. L. D.

gliæ (1) Deus immisit, ut qui febribus evaderet fame moreretur. Immisit etiam tempestates et tonitrua, quibus multos hominum occidi permisit.

Walcherus, ex clero Sancti Lamberti in Anglia episcopus, Anglorum odiis innocens impetitur, et in celebrando missam ab iis ut alter Stephanus papa martyrizatur.

ANN. 1087.

Anno MLXXXVII, translatum est corpus Sancti Nicolai, a Barro, in terram Rogerii ducis Apuliæ, nono die maii.

ANN. 1088.

Anno MLXXXVIII, receperunt monachi Sanctæ Trinitatis de monte Rotomagensi ecclesiam Beatæ Mariæ Blidæ cum pertinentiis a venerabili viro, domino Rogerio de Bully, et ab Munold uxore sua, quam pro salute animæ suæ et pro anima Guillelmi primi, regis Anglorum, prædictum locum et pertinentia condonavit.

ANN. 1090.

Anno MXC, caput Sancti Romani Rotomagensis archiepiscopi, quod jussu Caroli imperatoris, filii Ludovici, cum corpore Sancti Gildardi Suessiones in monasterio Sancti Medardi translatum fuerat, temporibus domni Nicolai abbatis Sancti Audoeni Rotomagum relatum est, et ab ipso Nicolao honorifice susceptum, una cum brachio Sancti Gildardi et dente Sancti Medardi, et aliorum Sanctorum reliquiis, Sancti scilicet Remigii Rotomagensis archiepiscopi, Sancti Gregorii, Sancti Leufridi (2), Sancti Innocentii, et ab eodem locatum iii°. kalend. maii, in ecclesia Sancti Audoeni, Roberto duce Normanniæ, filio Willelmi regis Anglorum, domino Willelmo Rotomagensi archiepiscopo, Waltero Sanctæ Trinitatis de monte præsentibus et multis aliis.

Hoc anno, Rogerius de Buleyo donavit monachis Sanctæ Trinitatis apud Rotomagum Ecclesiam de Blida in Anglia, et ibi constituit xiii monachos. Eo quoque anno, obiit Odo primus monachus Sanctæ Trinitatis Rotomagensis.

His diebus, domnus Walterus abbas Sanctæ Katarinæ (*seu* Sanctæ Trinitatis) Rotomagensis cœpit reædificare ecclesiam et locum Sanctæ Austrebertæ apud Pavillacum, et tunc translatum est corpus ejus in cœnobium Sanctæ Katarinæ.

ANN. 1091.

Anno MXCI, domnus Yvo Sancti Quintini Belvacensis præpositus a papa Urbano consecratus [est] Carnotensium episcopus.

ANN. 1095.

Anno MXCV, rex Willelmus misit Henricum fratrem suum in Normanniam cum pecunia magna, ut eam loco regis diutinis invasionibus expugnaret.

(1) Ex *Chronico Kemperlegiensi*, non solum per Angliam, sed etiam per totam Europam, anno 1085, grassata est fames pestifera; Steph. Baluze, *Miscellanea*, in-8°., t. I, p. 523. L. D.

(2) Horum enim Beati Remigii Beatique Leufredi corpora, penes se reposita, peculiari cultu venerabantur monachi Sancti Audoeni Rotomagensis. Inter cujus abbatie munimenta, in Archivis Sequanæ Inferioris, in quadam declaratione reliquiarum thesauri Sancti Audoeni, anno 1587 confecta, legimus : « Le chef sainct Remy, archevesque de Rouen. Le chef sainct Leufroy. La capse du corps Sainct Leufroy. La capse du corps Sainct Remy, archevesque de Rouen. »

Stellæ visæ sunt de cœlo cadere ita spissæ quod non possent numerari.

ANN. 1096.

Secundum *Chronicon ecclesiæ Rotomagensis*, anno MXCVI, concilium apud Clarummontem tenuit Urbanus papa, cui interfuerunt episcopi et abbates Normanniæ (1), et in quo a præfato papa sancitum est ut, crucibus in vestibus fixis, Christiani cum armis Jherusalem pergerent; quod sic factum est. Primus autem omnium principum crucem accepit Raymundus comes Sancti Ægidii, deinde episcopus Podiensis, et postea secuti sunt eos multi, et tum postea ad Jherusalem iter arripuerunt, uti et Hugo Magnus frater regis Franciæ, Stephanus comes Carnotensis, Robertus comes Flandrensis, Robertus dux Normannorum, dux Godefridus rex futurus et alii multi. Quo audito, in Apulia Normanni, qui ibi habitabant, multi, crucibus acceptis, iter arripuerunt, videlicet Boamundus et Tancredus et Guillelmus nepotes ejus, et multi alii convenerunt ante Constantinopolim, et factus est numerus eorum circiter ducenta millia. Eodem anno, ab iis capta est Nicæa civitas, a qua recedentes pugnaverunt et vicerunt Solymannum, regem Turcarum, habentem secum multa millia turbarum promiscuarum.

Obiit Urbanus papa, cui successit Paschalis secundus. Judæorum interfectio apud urbem Rotomagensem (2).

ANN. 1097.

Hoc anno, cometa apparuit, mense octobri.

Anno Henrici quarti XXVIII, Bruno, natione Teutonicus, ex urbe Colonia, litteris apprime eruditus, Remensis ecclesiæ canonicus, et scholarum magister (3), relicto sæculo, heremum Cartusiæ fundat, propositumque monasticæ conversationis actis arduum instituit. Hujus sancti propositi cooperator et existens Beatæ Mariæ Hugo, Gratianopolitanus episcopus, ab eodem Brunone habitum monasticum sumpsit, cunctisque habitantibus insigne exemplum præbuit.

ANN. 1098.

Annum MXCVIII, quum Willelmus, rex Anglorum, Normanniam quam a Roberto fratre suo, ad Jerusalem, in vadimonium acceperat, pro libitu suo

(1) Inter Normanniæ præsules, qui Claromontanensi concilio interfuerunt, annumerandus videtur Odo Baiocensis; quippe cui duas epistolas, apud Clarummontem datas, summus pontifex concessit, unam pro cathedrali ecclesia in *Libro Nigro* transcriptam, alteram pro monachis Sancti Vigoris inter munimenta Sancti Benigni Divionensis, in Archivis vulgo *de la Côte-d'Or* dictis, asservatam. L. D.

(2) Cf. Guibert. Noviogens.

(3) Qui *scholarum magister* in hoc loco dicitur, alias et *scholasticus*, gallice *Ecoldtre* (Cf. Ducange, edit. Henschel, v°. SCHOLASTICUS, t. VI, p. 112, col. 3, et p. 113, col. 1); etiamque, quod manifestius quid sit munus illud aperit, *scholiarcha*, saltem apud recentiores (inter alios Beaugendre, *Venerabilis Hildeberti opera*, p. XVIII) nuncupatur. Quin et *cancellarius*, secundum eumdem editorem non alius erat. Triplici scholiarcha munere fungebatur : docebat clericos litteras; hæreticorum ei et excommunicatorum præconium deferebatur; monumenta scripturarum ad res ecclesiæ pertinentium conficiebat (*Ibid.*, p. XLVI). Tertius erat in ecclesia prælatus; ante eum stabant *præpositus* qui primus erat, *decanus*, qui secundus (Ducange, edit. Henschel, v°. SCHOLASTICUS). A. CH.

disposuisset, rediit anno superiore ad vigiliam Paschæ in Angliam. Anselmus vero archiepiscopus recessit ab Anglia, quia nihil recti rex pravus in suo regno fieri permittebat, sed provincias intolerabiliter vexabat, in tributis quæ nunquam cessabant, in opere muri circa turrim Londoniæ, in opere aulæ regalis apud Westmonasterium. Rex Willelmus hoc anno fuit in Normannia semper hosticis tumultibus et curis armorum deditus, tributis interim et exactionibus pessimis populos Anglorum non abradens, sed excorians. In æstate autem visus est sanguis ebullire a quodam stagno apud Fiscamtede in Gescyre. Post hoc apparuit cœlum tota nocte pene tanquam arderet.

[Videte, lectores (1), quomodo de modico murmurabant prædecessores nostri. Nunc, anno MV^cXLVI, quid dicemus de rege Francisco, qui quolibet anno decimas ab ecclesia extorquet et possessione mobilium vi et violentia occupat; nobiles suis guerris atterit, pauperes excoriat taliis et exactionibus, et mitius cum eis ageret, si neci eos traderet, quia omne bonum ab eis aufertur, et sic cum languore, fame et inedia ad tempus parent (2). Consiliarios suos ad relationem mulierum exauctorat, postea earum importunitate in integrum restituit. Villas et urbes regni sui privilegiis privavit, ut inde pecuniis redimerentur. Postea præstationes innumeras ab iis exegit. Quod si aliquis murmuraret, capite plecteretur. Populus per servientes incarceratur; et non sufficit dicere : *Ecce bona omnia, accipite ut redimam corpus meum*. Sed oportet habere, et, quod pejus est, misit legatos propter tardationem pecuniarum excessive petitarum, ad expensas civium, et quilibet legatus, ex ejus ordinatione, habebat quatuor aureos solares quolibet die. Quid ultra? Calamus cecidit, quia quæ proferre volo, abominabilia apud Deum propter mores, vitia, lubricitates, incesta, adulteria, ædificia quinque platearum ad placitum fabricatarum tempore belli quæ non cessabant in operibus inestimabilibus et utensilibus innumeris.]

Ann. 1099.

Anno MXCIX, Christianis Turcos fortiter debellantibus eorumque urbes et castella sibi debellando vendicantibus, contigit apud quoddam munitissimum castrum nomine Archas eis Jerusalem octo mansionibus situm multos eorum perire, cum quibus etiam Anselmus de Ribemont, lapide percussus in capite, occumbit. Exercitus autem, Dei divino monitu, in interiora Syriæ profectus, larga Dei manu refocillatus est, quia cives et castellani illius regionis legatos cum multis donis ad eos præmittebant, parati etiam oppida vel urbes eis tradere, a quibus Christiani, securitate accepta et indicto urbibus tributo, interim etiam multis eorum qui se substraxerant ad eos apud Tyrum recurrentibus, tandem pervenerunt.

Ann. 1100.

Anno MC, Godefridus, dux Lotharlensis et princeps, Jerusalem obiit, cui frater ejus Balduynus succedit.

Ann. 1107.

Anno MCVII, obiit Henricus Alemanniæ imperator, cui successit junior Henricus filius ejus (1).

Paschalis papa Franciam venit, consilium apud Trecas tenuit.

Ann. 1109.

Anno MCIX, obiit Sanctus Anselmus, Cantuariensis archiepiscopus.

Ann. 1110.

Anno MCX, obiit Willelmus Rotomagensis archiepiscopus, v idus februarii, cui successit Gaufridus Cenomannensis. Anno sequente fuit fames maxima in Normannia (2).

Ann. 1112.

Anno MCXII, Robertus de Belesme captus a rege Anglorum Henrico.

Ann. 1118.

Anno MCXVIII, obiit Paschalis papa, cui successit Gelasius; ipso anno ventus validus.

Ann. 1119.

Anno MCXIX, obiit Gelasius papa, cui successit Calixtus. Factum est hoc anno bellum apud Bramulam (3), die xx^a. mensis augusti, inter Ludovicum regem Francorum et Henricum regem Anglorum, in quo rex Ludovicus superatus fugit cum paucis, et capti sunt ibi Guido de Claromonte et Burchardus de Monte Morancii, et Willelmus Crispinus (4) et Osmondus de Calvomonte et multi alii proceres. Rex tamen et Willelmus filius Roberti ducis Normanniæ fuga evaserunt (5).

Ann. 1122.

Anno MCXXII, obiit Radulfus Basset, Cantuariensis archiepiscopus, xiii kal. novemb. (6).

Ann. 1124.

Obiit Calixtus papa, cui successit Honorius. Tonitru vehemens, quinto idus martii, cum vento valido et grandine.

(1) De his quæ intra uncos comprehenduntur, et temporum seriem atque rerum rumpunt, vide *supra*, in procemio, p. VIII. A. CH.

(2) Sic in ms. codice, forsitan legendum *pereunt*.

(1) Vulgo ad ann. 1106 Henrici IV mors refertur.

(2) Eamdem famem ad annum 1110 Andegavenses chronographi retulerunt; P. Marchegay, *Archives d'Anjou*, p. 459. L. D.

(3) Hæc pugna a recentioribus nostræ historiæ scriptoribus *La journée de Brenneville* sæpius vocitata est; quorum error ex mendosa Orderici Vitalis editione emanavit. Bremula, nunc *Bremulle*, in territorio Gaillardibosci, hodie Gaillarbois, sita, non semel in chartis abbatiæ Mortuimaris invenitur, exempli gratia in litteris quibus anno 1202 Philippus rex Augustus supra laudato cœnobio inter cætera confirmat grangias suas, scilicet Rollum, Bremuliam, Mesangeriam, etc. ap. *Thesauri chartarum* Registrum CX, n°. II^cLXIIII. L. D.

(4) Ejus pater Willelmus Crispinus donis, quibus Beccense monasterium adauxit, notissimus est. Videas A. Du Monstier, in *Neustria pia*, p. 479, et P. Anselme, *Histoire généalogique*, t. VI, p. 632. L. D. — Cf. et *De nobili genere Crispinorum* opusculum ap. Lanfranci *Opera*, edit. d'Achery, Append., p. 52. A. CH.

(5) Hunc locum in Chronico Rotomagi ap. Labbe adulteratum restitui ex ms. codice.

(6) De Radulpho et cæteris qui eamdem tenuere sedem vide Stephani Birchingtoni *Historiam de vitis archiepiscoporum Cantuariensium* in *Anglia sacra*, edit. Wharton, t. I, p. 1 et seqq. A. CH.

Ann. 1136.

Anno MCXXXVI, in vigilia Theophaniæ, fuit ventus maximus; obiit Ludovicus, rex Francorum, cui successit Ludovicus, filius ejus.

Ann. 1138.

Anno MCXXXVIII, abbas Alexander, qui, cum omni conventu suo, annuente rege Anglorum Henrico, in Forestam de Leonibus (1) venerat in heremitorio quod dicebatur : *Mortuum-Mare* (2), monasterium suum ædificaverat, ipsam domum suam, scilicet *Mortui-Maris*, ordini Cisterciensi conjunxit, et Walerannus, abbas Ursicampi, eam in filiam accepit, monachosque suos illuc transmisit. Nec multo post idem Alexander abbas curam dimisit, cui Adam quondam prior Ursicampi successit.

Obierunt Petrus Leonis et Lotharius imperator; successit Conradus nepos Henrici [V].

Ann. 1140.

Anno MCXL [obierunt], Petrus Abalardus, magister insignis in opinione scientiæ, sed de fide male dogmatizans (3); hujus discipulus Gaudrifus, monachus Cisterciensis ordinis, qui contra ipsum fideliter scripsit. Obiit Hugo Sancti Victoris Parisiensis canonicus, qui librum *De sacramentis* edidit. Extat ejus liber *De claustro animæ*, nomine Hugonis de *subjecto*, intitulatus Sancti Petri Corbeiensis monachus, ut dicitur (4).

Ann. 1142.

Anno MCXLII, factus est terræ motus, vii idus januarii, circa primam, et iterum v idus ejusdem mensis, bis in nocte factus est, quorum primus tantus fuit ut lectos qualiens dormientes in iis à somno excuteret (5).

Obiit Willelmus abbas Gemeticensis, cui successit prior ejusdem loci.

Ann. 1145.

Anno MCXLV, ex proditione Christiani, in principatu Antiochensi, perdiderunt civitatem Rohays (1). Plaustra humeris hominum tracta divinitus superbiam multorum humiliaverunt et miracula multa fecerunt (2). Edessa, Mesopotamiæ civitas, in qua erant apostolorum, Thomæ et candidatorum corpora, et quæ a sordibus idolatriæ numquam fuerant polluta, ex quo ad Christi fidem conversa est, a Turcis capta est. Eodem tempore, translatus est liber Joannis Damasceni de græco in latinum a Burgundione cive Pisano. Obit Lucius papa.

Ann. 1146.

Anno MCXLVI, facta est fames valida in multis regionibus (3), in qua tam chara fuit annona apud nos, ut summa frumenti vendita sit xl solidis (4) et summa avenæ xvi solidis, de qua factis panibus quam maxime plurimi sustentabantur (5).

Joannes, Sagiensis episcopus, vir jocundus et admodum litteratus, canonicos sæculares suæ ecclesiæ regulariter et secundum Sanctum Augustinum instituit, additis officiis et claustro. Hoc idem Joannes Lexoviensis episcopus, avunculus ejusdem, et Gaufridus Carnotensis tentare in suis ecclesiis voluerunt, sed ipso conatu defecerunt. Algarus Constantiensis episcopus, vir admodum religiosus, canonicos regulares posuit in ecclesia Sancti Laudi Constantiensis et in ecclesia Sancti Laudi Rotomagensis et in ecclesia de Cæsarisburgo (6).

Rex Francorum Ludovicus crucem accepit.

Ann. 1147.

Anno MCXLVII, Eugenius papa Parisium venit; rex Ludovicus, cum regina Alienor, Jherusalem perrexit.

Ann. 1148.

Anno MCXLVIII, concilium Rhemis a papa Inno-

(1) *Lyons-la-Forêt* non procul abest a Rotomago, quatuor fere leucis. Vicus nomen ducit non a Leonibus, sed a vulgatis vocibus : *Ly ons* (homines aut vassalli).

(2) Apud Nationalem Parisiensem Bibliothecam, luculentam de fundatione principiisque cœnobii Mortuimaris perlustravimus historiam, vetusto ejusdem abbatiæ chartulario prætixam. Exeunte XII°. sæculo, a pio quodam exarata est monacho, cujus nomen posteros fugit. L. D.

(3) Obiit, ut videtur, Abælardus, non ann. 1140, sed 1142, vicesima una die mensis aprilis. Cf. *Histoire littéraire de la France*, t. XII, p. 101. A. CH.

(4) « Les critiques ne sont point d'accord sur l'année de sa mort. Les uns mettent cet événement en 1140, les autres en 1141, plusieurs en 1142, et un petit nombre enfin le recule jusqu'en 1143. Mais Osbert, dans sa relation, fixe nos doutes sur ce point, en disant que Hugues mourut un mardi 11 février, ce qui concourt avec l'an 1141, suivant notre manière de commencer l'année. *Histoire littéraire de la France*, t. XII, p. 5-6. » Cujus de scriptis vide *Ibid.*, p. 7 et sqq., ubi, p. 37, legendum est : « Venons maintenant au grand ouvrage des sacrements. C'est ici la plus considérable production de Hugues... » et *infra*, p. 68 : « L'identité de nom a fait mettre sur le compte de notre auteur cinq ouvrages qu'un autre Hugues a droit de revendiquer : » inter hæc quinque opera annumeratur tractatus *De claustro animæ*, qui Hugoni de Foulloi, Sancti Laurentii in pago Ambianensi canonicorum priori assignandus est. Cf. *Histoire littéraire de la France*, t. XIII, p. 496. A. CH.

(5) In *Chronico Uticensi* eumdem terræ motum legimus memoratum, ap. D. Bouquet, t. XII, p. 774. L. D.

(1) Melius *Rages* aut *Edessa*.

(2) Cf. *Chron. Rotom.* ap. Labbe, t. II, p. 368, ubi de istis plaustris agitur.

(3) Ista « fames valida ubique terrarum qualis unquam antea non fuit » in aliarum provinciarum annalibus annotata est. Adeas P. Marchegay, *Archives d'Anjou*, p. 459. L. D.

(4) Anno 1141 similiter XL solidis mensura annonæ constiterat ex *Chronico Sancti Taurini Ebroicensis*, apud D. Bouquet, t. XII, p. 777. L. D.

(5) Huic loco scriptor ignotus qui, XVI°. sæculo, tria Chronica collegit, hæc verba addit : « O aurea tempora, nunquam meo tempore vidi minus vendere, videlicet ab anno MVcXXII usque ad annum MVcXLVI. » —Sed morosum compilatorem fugere videtur quid, quoad monetæ pretium, annos inter 1146 et 1546 intersit. A. CH.

(6) *Sancti Laudi Constantiensis.* Folio tertio chartularii abbatiæ Sancti Laudi, quod amicus noster Nicolaus Dubosc summa diligentia compilavit, transcripta est prolixior Algari episcopi charta, in qua sequentia leguntur : « Ego Algarus Constantiensis episcopus.... pie recordationis pape Innocentii auctoritate et Hugonis Rotomagensis archiepiscopi, suffraganeorumque etiam consilio et cleri Constantiensis assensu, in ecclesia Sancti Laudi, in qua clerici minus religiose vivebant, canonicos secundum regulam Beati Augustini Deo servituros constitui, etc. » L. D.

centio (1) celebratur, in quo Bernardus confutavit Gillebertum Porretanum (2).

Ann. 1151.

Anno MCLI, fames magna fuit. Summa frumenti I solidis, alterius annonæ xxx vendebatur. Fuerunt etiam inundationes imbrium magnarum (3). Eodem anno, mortuus est comes Gaufridus vii idus septembris. Per idem tempus, in Alemanniæ partibus, quædam virgo provectæ ætatis erat, quæ quum laica esset et sine litteris rapta in spiritu, non solum quodlibet verbum diceret et verbis effunderet, sed etiam quid scribendo dictaret ac libros conderet. Hæc fuit, ut dicitur, Sancta Hyldegardis. In die Parasceve, Guillelmus puer in Anglia, in urbe Norvice, a Judæis crucifigitur, de quo visio mirabilis scribitur.

Ann. 1154.

Anno MCLIIII, obiit Eustachius, abbas Gemeticensis, xvii kalend. januarii. Eodem anno, captus est Galerannus, comes Mellentius, a suo nepote Roberto de Montefortì. Petrus monachus Cluniacensis factus est abbas Gemeticensis. Ipso anno obiit Eugenius papa, cui successit Adrianus, gente Anglicus, et eodem anno mortuus est Stephanus, rex Anglorum, mense octobri, qui regnavit circiter xix annis. Successit ei in sequenti natali Domini, eodem anno, Henricus, filius Gaufridi comitis et imperatricis, vir magnæ sapientiæ et virtutis.

Henricus, dux Normannorum, filius Mathildis imperatricis, xiii°. kalend. januarii, apud Westmonasterium, est electus et in regem unctus. Hæc sunt autem (4) quæ habuit de ecclesia Rotomagensi, tempore ducatus sui, videlicet : anno MCLIIII, triginta tres marcas auri de tabula quæ solebat poni ante altare et unum textum aureum cum lapidibus pretiosis et duo candelabra argentea valentia triginta marcas. Tempore vero regni, habuit coronam (5) auream valentem trecentas marcas argenti, quam rex Henricus avus suus in testamento suo ecclesiæ Rotomagensi donaverat ad emendum reditum ad usus canonicorum. Tempore guerræ inter ipsum et filium suum, quando civitas Rotomagensis obsessa est, anno MCLXXIIII, habuit calicem aureum sex marcarum et decem et septem marcas auri de residuo tabulæ prædictæ et duas pelves argenteas octo marcarum et scutellam argenteam octo marcarum quam dominus Robertus de Novoburgo (1) in testamento suo ecclesiæ Rotomagensi donaverat, et textum argenteum valentem quadraginta libras Andegavenses (2).

Hoc anno, Robertus, abbas Sancti Michaelis de Monte, tractatum fecit de abbatibus et abbatiis Normannorum et fundatoribus earum (3).

Ann. 1156.

Anno MCLVI, signum crucis in luna visum est. Tonitrua magna audita sunt et gravis exstitit pestilentia.

Ann. 1160.

Anno MCLX, obiit Constantia, regina Francorum, quæ venerat de Hispania, et rex Francorum Ludovicus duxit aliam, nomine Adelam, filiam Tetbaldi comitis, sororem Tetbaldi et Henrici, et eodem anno Henricus, filius Henrici regis Anglorum, desponsavit filiam regis Francorum, et propterea regi Anglorum reddita sunt castella de Vulcassino, Gisortium et cætera, sicut ante compromissum fuerat. Hoc etiam anno, obiit Adrianus papa cui, per dissensionem Romanorum, duo successerunt Victor, quem imperator suscepit, et Alexander III, quem reges Angliæ et Franciæ susceperunt.

Ann. 1161.

Anno MCLXI, obiit Theobaldus Cantuariorum archiepiscopus. Trium Magorum corpora de Mediolanensi urbe translata sunt apud Coloniam.

Ann. 1162.

Anno MCLXII. Thomas Becchet, cancellarius regis Henrici, ordinatus est archiepiscopus Cantuariorum, et eodem anno multa tonitrua audita sunt, et fulmina sæpe ceciderunt (4).

(1) Mutandum nomen pontificis et legendum : *Eugenio III*. A. CH.

(2) De Gilleberto Porretano videsis *Histoire littéraire de la France*, t. XII, p. 466-467. A. CH.

(3) Ista pluviarum inundatio nobis jam innotuerat, ex *Chronico Mortuimaris*, ap. D. Bouquet, t. XII, p. 783, A, et ex *Appendice* Roberti, *Ibid.*, t. XIII, p. 293, B, qui quidem Robertus, loco citato, famem sacrumque ignem hoc anno sævisse haud omisit. L. D.

(4) Instrumento quo recensentur omnia ad thesaurum ecclesiæ Rotomagensis XII^mi^. sæculo pertinentia, hunc locum prorsus illustrandum decrevimus. Quod ex *Chartulario cathedralis ecclesiæ Rotomagensis* (in Bibliotheca ejusdem civitatis nunc asservato sub n°. 38. 101. Y.) desumptum in Appendice reperietur. L. D.

(5) Tunc enim nostri duces iidemque Anglorum reges, imminente supremo die, regia ornamenta pretiosasque vestes celeberrimis ecclesiis legare solebant. Exempli causa, Mathildis regina clamidem operatam ex auro, quæ in ipsius camera erat, ad cappam faciendam, coronam quoque et sceptrum Sanctæ Trinitati contulit ; de quo vide Chartularium hujusce parthenonis, apud Nationalem Parisiensem Bibliothecam, latinorum codicum numero 5650, folio 26 recto. Quinto decimo sæculo, a Baiocensis ecclesiæ canonicis Guillelmi Conquæstoris pallium summa cura servabatur, teste Thesauri Inventario, quod amicus noster Dominus Guerin, ejusdem ecclesiæ canonicus, nobis ostendit. Idem gloriosus rex, quum vitæ terminum sibi adesse videret, Cadomensi Beati Stephani cœnobio coronam qua in celebrioribus festivitatibus inter sacra missarum solemnia coronabatur, cum sceptro et virga et pretiosi lapidis calice aureisque candelabris et cæteris ad coronam pertinentibus, ex *Neustria pia*, p. 638. De quibus insignibus redemptis, adeas librum amici nostri D. Léchaudé d'Anisy (*Mémoires de la Société des Antiquaires de Normandie*, t. XV, p. 201). Deprecatorias monachorum Sancti Stephani litteras, quibus gallice scriptis prædicto loco occurres, non ad Ricardum I regem, sed ad Ricardum nomine secundum, fuisse directas sagax lector animadvertat. L. D.

(1) Robertus de Novoburgo, totius Normanniæ vicecomes aut vicedominus, id est dapifer, innumeris divitiis pauperes inter et ecclesias divisis, in monasterio Becci religionis habitum, anno 1159 kalendis augusti, induit. Eodem mense, tertio videlicet kalendas septembris, ad superiores auras evolavit : *Chronicon Becci*, ad annum 1159, ap. *Neustriam piam*, p. 479 ; cf. La Roque, *Histoire de la maison d'Harcourt*, t. III, p. 168, et Mabillon, *Annales ordinis Sancti Benedicti*, t. VI, p. 317. L. D.

(2) Eadem invenies in ms. codice *Bibl. publ. Rotomag.*, qui dicitur *Liber eburneus* et partim XII°. sæculo exaratus est.

(3) Hoc Roberti de Monte opus editum est a Dacherio ad calcem Guiberti. — Et in recentiore *Monastici Anglicani* editione. L. D.

(4) In *Appendice ad Sigebertum*, quæ fulgura tempestatesque hujus anni mense julio acciderint, Robertus de Monte annotavit, ap. D. Bouquet, t. XIII, p. 299. L. D.

ANN. 1163.

Anno MCLXIII, obiit Willelmus Longa-Spata, filius Mathildis imperatricis iii kalend. februarii (1). Alexander papa tenuit concilium Turonis civitate, in quo Octavianus antipapa, quem Victor nominabat, et sequaces ejus excommunicati sunt. Inter Henricum de Essese et Robertum de Monteforti pugna fuit, et Henricus victus est.

ANN. 1164.

Anno MCLXIV aut sequenti, obiit Hugo venerabilis archiepiscopus Rotomagensis, cui successit Rotrodus, episcopus Ebroicensis, et ipse venerabilis, et religiosus filius Henrici comitis de Warvic, qui transtulit corpora Sancti Romani archiepiscopi: matrem habuit Margaretam filiam Rotrodi comitis de Pertico. Prædictus autem Henricus filius fuit Rogerii de Bello-Monte.

Eodem anno natus est Philippus filius Ludovici regis Francie.

ANN. 1167.

Anno MCLXVII, obiit Mathildis imperatrix iii idus septembris.

ANN. 1169.

Anno MCLXIX, obiit Petrus abbas Gemeticencis (2), cui successit Rogerius monachus Beccensis, Deo et regibus et multis aliis charus, et in diebus ejus multa bona provenerunt Gemetico (3).

ANN. 1170-1171.

Anno MCLXX, Henricus juvenis, filius Henrici regis Angliæ consecratus est ab archiepiscopo Eboracensi et aliis episcopis per voluntatem patris. Cantuariensis enim propter iram regis cum suis omnibus exul erat, qui eodem anno rediens in Angliam, iiii kalend. januarii, in ecclesia Cantuariorum occisus est, nec multo post miraculis claruit, et Sanctus Thomas appellatus est. Hic ést annus a nativitate Christi MCLXXI, qui, in principio sui, martyrio Sancti Thomæ Cantuariorum consecratus est.

ANN. 1172.

Anno MCLXXII, Robertus præpositus de Arca duos episcopatus regebat, Atrebatensem et Tornacensem, filius fabri cujusdam rustici Carnotensis, qui, ut aiunt, familiari dæmone utebatur, per quem ad tantos honores perveneral.

Henricus, rex Anglorum, in Hiberniam profectus est, eam sibi acquisiturus secundum illud vaticinium Merlini; *Sextus Hiberniæ mœnia subvertet*, etc. Eodem anno, in vigilia Assumptionis, quidam doctor divinarum et sæcularium litterarum, nomine Alexander, monachus induitur, cujus libri scholares, quos monasterio contulit, hi sunt: Exodus, Leviticus, Isaias cum cæteris (1).

ANN. 1173.

Anno MCLXXIII, Henricus III, rex Anglorum junior, recessit a patre suo, et transiens ad regem Francorum Ludovicum, modis omnibus cœpit ei adversari (2). Secuti sunt eum fratres sui Richardus et Gaufridus, comites et barones multi de Anglia, Normannia et Britannia; Cœnomannenses quoque et Andegavenses, Pictavi et Gascones, et quicumque amarum animum habuerant adversus patrem, relinquentes propria, transibant in Franciam. Eodem anno, conjuraverunt contra regem Anglorum seniorem Henricum, Ludovicus, rex Francorum, Philippus, comes Morinorum seu Flandrensis, cum omnibus quos ad hoc compellere potuerunt. Cum rege vero seniore Henrico pauci in Normannia remanserunt, videlicet Willelmus comes de Magnavilla, Jordanes Taisson, episcopi et pauperes, et urbium castellorumque communiones qui ejus se consilio tuebantur et virtute.

Eodem anno, Philippus, comes Morinorum, cum omnibus Flandrensibus obsedit castrum quod dicitur Drincurtis (nunc Novum-Castrum), vastatis prius vicinioribus sibi Normanniæ partibus, et cum multo suorum dampno, in morte fratris sui Mathæi comitis Boloniæ, castrum illud vix obtinuit, et recessit. Ludovicus vero, rex Francorum, cum suis omnibus et cum rege Henrico juniore et cæteris Normanniæ fugitivis, Vernolium obsedit. Interim vero, rex Henricus senior, in palatio suo apud Kivilleium (3) morabatur, ad quem venientes nuntii Vernoliensium auxilium postulaverunt, qui, convocatis omnibus

(1) Ex recentiorum stylo, 30 die januarii, anno 1164, obiit, atque in majori Rotomagi ecclesia sepultus est. In Anglicis comitatibus de Middlesex, Surrei et Essex, plurima prædia, necnon, in Constantini pago, manerium de Sanctæ Mariæ ecclesia (hodie *Sainte-Mère-Eglise*) vivus obtinuit, ut accuratissime narravit Normannicarum antiquitatum peritissimus Thomas Stapleton, in *Magnis Scaccarii Rotulis*, t. II, p. CCXV. Adde prædictum Willelmum apud Deppam quædam jura exercuisse, ut patet ex charta, qua Deo et Sancto Johanni de Fulcardimonte duas mansiones in villa Deppæ concessit. Integras principis litteras invenies *Chartularii Fulcardimontis*, in Rotomagensi bibliotheca asservati, folio XXXVI recto. Ejusdem pro eodem cœnobio altera charta extat, folio XLVII recto *Libri Deppensium Consuetudinum*, in Inferioris Sequanæ tabulario repositi. Ex ejusdem libri folio L recto, pagina secunda, chartam descripsimus cujus tenor sequitur: « Willelmus, frater H. regis Angliæ, omnibus amicis et hominibus suis et vicecomitibus Deppe, et omnibus ministris suis, salutem. Sciatis me dedisse [et] presenti carta confirmasse Willermo Crespin, concessione Mabildis *(sic)* imperatricis, matris mee, pro servicio suo, unam masuram in Deppa, ita liberam, solam (*sic*, *lege*: solutam) et quietam ab omnibus consuetudinibus per mare et per terram sicut leprosi [de] Deppa suas masuras in Deppa tenent. Testis (*sic*, *lege*: testibus) hiis, etc. » L. D.

(2) Cf. *Gall. Christ.*; t. XI, p. 195, ann. 1166.

(3) Cf. *Chron. Beccense*, Appendix ad *Opera* Lanfranci, ann. 1166, p. 8.

(1) Quæ desunt in *Chronico triplici*, in alio ms. codice Bibliothecæ publicæ Rotomagensis inveni, qui sub n°. Y 9/90 catalogo inscriptus est et XIII^{mo}. sæculo exaratus. Libros Alexandri notat qui sic se habent: « Liber Claudii poetæ cum phylosophia Hildeberti Turonensis archiepiscopi *De anima*; item, in uno volumine *Ars catholicæ fidei*, edita a magistro Nicholao Ambianensi; Claudianus, *De substantia animæ*, et *Expositio symboli Athanasii*, edita a magistro Symone Tornacensi; *Libellus theologicarum quæstionum*, liber qui dicitur *Speculum ecclesiæ* de consuetudine Romanæ ecclesiæ et liber Guidonis *De musica*. Quædam vero opuscula ipse dictavit. »

(2) Hanc Chronici partem, usque ad annum 1177, invenies in ms. codice Bibl. Rotom., Y 87/60, XIII^{mi} sæculi.

(3) Hodie *Quevilli*, vicus juxta Rotomagum. — Hoc palacium anno 1161 instauraverat Henricus II, qui, auctore Roberto de Monte, parcum et mansionem regiam fecit circa fusles plantatos apud Chivileium juxta Rotomagum. D. Bouquet, t. XIII, p. 306. L. D.

fere, quos ad servanda castella deputaverat, cum Brabantinis quos in auxilium conduxerat, viris fortissimis et ad prælium optime instructis, in brevi habere visus est, in exercitu suo, duo millia equitum et ducenta (1) millia pugnatorum, quod audientes Franci, qui Vernolium obsederant, omnes fugerunt. Nec multo post, quidam Britones et quidam etiam Normanni, qui adversarii erant magni regis Henrici cum Brabantinis et cum quibusdam aliis in Britannia confluxerunt, et capti sunt ex iisdem inimicis regis multi. Cæteri vero in turrim Doli fugientes inclusi sunt. Quod audiens rex, quum esset in palatio suo, quod tunc erat juxta Rotomagum apud Kivilleium, surgens media nocte urbem intravit, in ecclesia oravit, rem archiepiscopo prout erat indicavit, iterumque revertens viam quinque dierum uno et die dimidio consummavit (2), veniensque ad turrim Doli octoginta et eo amplius milites sibi adversantes cepit, inter quos erat Hugo consul Cestrensis, et Radulfus de Fulgeriis (3) et Hascoyl de Solynneio (4) et multi alii nominatissimi.

Iste Henricus II (5), dum esset apud Kivilleium, dedit fratribus Templi Salomonis domum e regione sitam dictam Sanctæ Warburgæ (1), quæ fuit regis Henrici avi sui.

Eodem anno, Robertus, comes Lencestrie (2), cum multis aliis patriæ proditoribus, Angliam ingressus, terram Sancti Eadmundi regis et martyris aggressus, ignominiose cum uxore et cum suis fere omnibus a fidelibus regis captus est et in custodiam trusus. Deus benedictus qui tradidit impios. Hi autem fuerunt regis fideles, qui cuneum inimicum contriverunt: Willelmus comes Bristodiæ, Vuillelmus comes Arundelli, Unfredus de Bohonio, Walterius Roberti filius, Rogerius Bigotus Hugonis filius, Thomas Bardulfus cum multis aliis.

ANN. 1174.

Anno MCLXXIIII, hic est annus gloriosi regis Henrici vicesimus; perseverante discordia inter patrem et filios multi fugitivorum furtim in Normanniam intrabant, multique eorum capiebantur, et regi præsentabantur, et pœnitebat eos fugæ.

Obiit Drogo (3) cui successit Willelmus Becci monachus.

ANN. 1175.

Anno MCLXXV, Henricus III rex junior, et Philippus comes Flandriæ, cum omnibus copiis suis, simulavit se transire in Angliam; quod audiens rex major Henricus eos scilicet mare intrasse et nesciens eos continuo redisse transfretavit, et non inveniens eos in Anglia totam terram in brevi pacificavit. Interim vero Ludovicus rex Francorum et rex Henricus junior Anglorum et Philippus Flandrensis, cum omnibus copiis suis, urbem Rotomagi obsederunt, eis fortiter cives restiterunt et cæteri regis fideles. Quod audiens Rex senior continuo ab Anglia veniens Rotomagum venit, et in adventu ejus liberata est civitas. Nec multo post reformata est inter reges concordia; redierunt filii ad patrem; pax Ecclesiæ et populo Dei reddita est.

(1) Sic in ms. codice, sed male, ut suspicor.

(2) De qua via collige quæ narravit Radulfus de Diceto, in *Imaginibus historiarum*, ad annum 1173, ap. D. Bouquet, t. XIII, p. 194, A. Ludovicus VII, Francorum rex, talem de continuis Henrici secundi itineribus jocum edidisse ab eodem Radulfo refertur: « Rex Angliæ modo in Ybernia, modo in Anglia, modo in Normannia volare potius judicandus est quam vel equum vel navem conscendere; » *Ibid.*, p. 190. Cæterum civitas Doli a Rotomago quinquaginta et amplius leucis distat, et a *Fletæ* auctore, lib. IV, cap. XXVIII (ap. Houard, *Traités sur les coutumes anglo-normandes*, t. III, p. 584 et 585), et ex quodam synodo Andegavis anno 1365 celebrato (ap. Labbe, *Sacrosancta concilia*, t. XI, c. 1941), mediis ætatibus dietam (De hoc verbo cf. Ducange) decem leucis vel eo circa constitisse didicimus. L. D.

(3) Filius erat Henrici, qui, anno 1150, religionis habitum in Savigneiensi cœnobio induit (ex chartis quas reperimus in Nationalium Archivorum capsa L. 1146. 2. signata, et in *Chartulario Savigneiensi*, apud Sanctum-Laudum asservato, foliis X et LXXXI), et Olivæ filiæ Stephani comitis, quæ, defuncto Henrico priore marito suo, Guillelmo de Sancto Johanne nupsit (*Ibid.*, L. 1146. 3., et Chartularii foliis XXV recto et CXLIII verso). Ipse Radulfus anno 1157 florebat (*Ibid.*, L. 1146. 2., et Chartularii folio XIII). *Savigneiensis Chartularii* folio LXXXIII, ejusdem Radulfi chartam legimus, quæ, ut ipse ait, facta est apud Savigneium in capitulo et apud Fulgerias recordata, anno MCLXIII, scilicet quando Jherusalem profectus sum. » L. D.

(4) Nobis Normanniæ Angliæque Chronica, et Montis Sancti Michaelis, Savigneii, Lucernæ, Montis Morelli, Veterisvillæ, Sancti Georgii de Balcherilvilla, Abrincensis Baiocensisque ecclesiarum chartas revolventibus, Solinneiensium, qui tum in Britannia tum in Baiocensi Abrincensique diocesibus, immensis polluerunt divitiis, nomina frequentissime occurrerunt. Hasculfum illum (quem ne confundas cum altero Hasculfo, jam anno 1169 defuncto, ut notavit Robertus in *Appendice*, ap. D. Bouquet, t. XIII, p. 313, A), eumdem esse, quem annis 1203, 1209 et 1212, commemorant *Rotuli litterarum patentium*, p. 23, 90 et 95, libens asseram. L. D.

(5) Fundationem Sancte Walburgæ (hodie *Sainte Vauburge*, in territorio Vallis Halæ, gallice *Le Val de la Haie*), ad hunc annum 1173 retulerunt Farin (*Histoire de Rouen*, 1738, in-4°., t. II, part. 5), T. Duplessis (*Description historique de la Haute-Normandie*, t. II, p. 809), et recentius Thomas Stapleton (*Magni Rotuli Scaccarii Normanniæ*, t. I, p. CXLI).— Ipsas Henrici II litteras, quas Normanniæ Novorum Chronicorum auctor alludere videtur, ex autographo quod, in Nationalibus Parisiensibus Archivis S. 5198. 1. signatum, manibus nostris pertractavimus, hic recitare placet: « H., Dei gratia, rex Anglie et dux Normannie et Aquitanie, et comes Andegavensis, archiepiscopo Rothomagensi, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciis, vicecomitibus et omnibus ministris et fidelibus suis Normannie, salutem. Sciatis me dedisse in perpetuam elemosinam et presenti carta confirmasse Deo et Fratribus Templi Salomonis domum Sancte Waeburge, que fuit H. regis avi mei, cum terra et bosco, sicut claustura parci continuit, assensu abbatis et totius conventus Becci. Quare volo et firmiter precipio quod supradicti Fratres Templi habeant et teneant prefatam domum cum terra et bosco et cum communi pastura foreste mee et cum omnibus aliis pertinentiis suis, bene et in pace et libere et quiete integre et honorifice, cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus suis: Testibus R. archiepiscopo Rothomagensi, E. episcopo Ebroicensi, Hugone de Laci, Seibero de Quinci. Apud Chivilli. » L. D.

(1) Lege *Walburgæ*. Sancta Walburga ad Sequanam, paucis leucis infra Rotomagum. Hic erat limes banleucæ Rotomagi, ut comperimus ex carta Henrici II in ejusdem urbis Archivis asservata.

(2) *Leencestrie* in ms. codice XIII . sæculi, f°. 222 verso.

(3) Abbas Sanctæ Catherinæ juxta Rotomagum. Cf. *Gall. Christ.*, t. XI, p. 127.

ANN. 1176.

Anno MCLXXVI, obiit Rogerius abbas Gemeticensis, xvii kalend. septemb. (1). Hic est Rogerius abbas sanctitate et morum honestate præclarus, ad quem circiter trium mensium spatium ante mortem ejus a partibus Flandriæ venerat nuntius, qui dixerat ei : « Apparuit mihi quædam domina, et ipsa est « gloriosa Virgo Maria, quæ tibi mandat ut te præ- « pares, quia in hoc anno morieris. » Et sic terminum vitæ ei prædixit. Quumque abbas servienti suo juberet ut eum manducare faceret, ait nuntius ille : « Nequaquam manducabo, quia simile man- « datum est ultra Sequanam nuntiare; vado. » Et recessit. Sermonis hujus seriem continuo abbas suis fratribus narravit; non tamen diem mortis suæ tunc prædixit. Illi autem non crediderunt; sed quum, imminente morte sua, audierunt eum quædam futura prædicentem, interrogavit eum quidam ex ipsis, qui fuerat ei valde familiaris, super hoc sermone, et respondit : « Terminum habeo in crastinum, et aliud « vobis dicere non audeo. » Erat autem vigilia assumptionis Sanctæ Mariæ. In crastino igitur, peractis omnibus, quæ ad exitum vitæ pertinebant, deosculatisque fratribus conversus ad Orientem cœpit orare, et nulli hominum postea locutus est. Actus ejus descripsit Alexander monachus.

ANN. 1177.

Anno MCLXXVII, electus est Robertus, abbas, Gemeticensis monachus.

ANN. 1178.

Anno MCLXXVIII, obiit Anfredus abbas Sancti Wandregisili (2).

ANN. 1179.

Anno MCLXXIX, concilium Romæ fuit generale Lateranense sub Alexandro papa. Eodem anno Philippus, filius Ludovici annorum xiii, unctus est in regem Francorum, patre adhuc vivente, in festo Omnium Sanctorum Remis a Willelmo Remorum archiepiscopo, ejusdem regis avunculo, præsente Henrico Anglorum rege. Translatio Sanctorum Romani Rotomagensis archiepiscopi et Boniti Arvernensis episcopi facta a domino Rotrado Rotomagensi archiepiscopo cum aliis episcopis, die dominica xv kal. julii, quorum prior in ecclesia Rotomagensi, alter in ecclesia Sanctæ Trinitatis de Monte requiescit.

ANN. 1180.

Anno MCLXXX, Philippus, rex Francorum, accepit uxorem filiam comitis [de] Henau, neptem Philippi comitis Flandrensis, et eodem anno, mense septembri, obiit pater ejus Ludovicus Parisius, paralipsi in pedibus et manibus, et sepultus est apud cœnobium de Barberel (3).

ANN. 1183.

Anno MCLXXXIII, obiit Henricus III rex Anglorum junior, 3°. idus junii, qui sabbato natus, sabbato baptizatus, sabbato coronatus, sabbato etiam mortuus (4), multorum malorum causa fuit. Obiit autem die festo Barnabæ apostoli. Sepultus est primo in Cœnomannensi urbe, deinde in Rotomagensi ecclesia. Eodem anno, Rotrodus Rotomagensis archiepiscopus V°. kal. decembris obiit.

ANN. 1184.

Anno MCLXXXIIII, electus est Walterus Rotomagensis archiepiscopus, prius Linconiensis episcopus.

ANN. 1185.

Anno MCLXXXV, receptus fuit Walterus de Constanciis in archiepiscopum Rotomagi in festo Sancti Mathiæ apostoli.

ANN. 1189.

Anno MCLXXXIX, Richardus, filius Henrici regis Angliæ filii Mathildis, factus est dux Normanniæ in ecclesia Rotomagensi per manum Walteri Rotomagensis archiepiscopi (1).

Hoc etiam anno, celebratum est provinciale concilium sub dicto Rotomagi archiepiscopo Waltero, de quo :

Largus successit Walterus, qui bona gessit
Quæ sanxere duces commemorantque cruces.
Hunc humilem sensit clerus, regesque severum ;
Fratribus hic cœpit perpetuare merum (2).

ANN. 1190.

Anno MCXC (secundum aliquos ann. MCLXXXIX), idibus maii, obiit apud Pontisaram Vuillelmus presbyter Anglicus natione, qui in Ecclesia Sancti Maculi quiescit, ad cujus sepulcrum Dominus multa miracula operatus est.

Eodem anno, 1°. kal. julii, facta est eclypsis solis, scilicet in vigilia Sancti Johannis. Rex Galliæ Philippus et rex Angliæ Richardus iter Hierosolymitanum arripuerunt in aprili.

ANN. 1199.

Anno MCXCIX, obsederat rex Richardus quoddam castrum propter quemdam militem ibi manentem, qui thesaurum invenerat, quem Richardus ambitiose

(1) C. A. Deshais, in libro dicto : *Histoire de l'abbaye de Jumièges*, p. 273, mortem Rogerii differt in quintum decimum augusti diem anni 1177. A. CH.

(2) Vide Langlois, *Essai historique et descriptif sur l'abbaye de Fontenelle ou de Saint-Wandrille*, p. 149. A. CH.

(3) Barbel ad Sequanam, cœnob. diœc. Senonensis.

(4) Omnium et gentium et ætatum illa est dierum certarum superstitio aliquid sive boni, sive mali secum referentium. Cf. Peignot. *Amusements philologiques*, t. II, p. 321 (Du nombre XIV relativement à Henri IV). Illud superstitionis genus in scenam Germanicam traduxit Wernerii drama cui titulus : *Februarii quartus et vicesimus dies* ; hoc habes translatum ap. *Chefs-d'œuvre des théâtres étrangers*, XVIII°. livraison, Paris, 1823, p. 299. Quod de tempore notavi, id et de loco notandum. Unum liceat de ista superstitionis ejusdem specie afferre exemplum e viri ingenio nobilissimi scriptis excerptum : « Malédiction, *Cherbourg*, à tes parages sinistres ! C'est auprès de *Cherbourg* que le vent de la colère jeta Édouard III pour ravager notre pays; c'est non loin de *Cherbourg* que le vent d'une victoire ennemie brisa la flotte de Tourville; c'est à *Cherbourg* que le vent d'une prospérité menteuse repoussa Louis XVI vers son échafaud; c'est à *Cherbourg* que le vent de je ne sais quelle rive a emporté nos derniers princes. Chateaubriand, *Mémoires d'outre-tombe*, t. IX, dans la *Presse*, 29 mars 1850, feuilleton, col. 2. » A. CH.

(1) Omnia ferme quæ in *Chronico triplici* pertinent ad Richardi regnum habes in *Script. rer. Gall.*, t. XVIII, p 338–340, nec iterum edenda censui.—De Ricardi Normanniæ ducis coronatione, ipsius chartam pro Albereda quæ fuerat uxor R. Coste, in Nationalibus Archivis (J. 655, n°. 1) repositam requiras. L. D.

(2) Alluditur ad usum capituli Rotomagensis cui quotidie vinum erogabatur.

centio (1) celebratur, in quo Bernardus confutavit Gilleberlum Porretanum (2).

ANN. 1151.

Anno MCLI, fames magna fuit. Summa frumenti 1 solidis, alterius annonæ xxx vendebatur. Fuerunt etiam inundationes imbrium magnarum (3). Eodem anno, mortuus est comes Gaufridus vii idus septembris. Per idem tempus, in Alemanniæ partibus, quædam virgo provectæ ætatis erat, quæ quum laica esset et sine litteris rapta in spiritu, non solum quodlibet verbum diceret et verbis effunderet, sed etiam quid scribendo dictaret ac libros conderet. Hæc fuit, ut dicitur, Sancta Hyldegardis. In die Parasceve, Guillelmus puer in Anglia, in urbe Norvice, a Judæis crucifigitur, de quo visio mirabilis scribitur.

ANN. 1154.

Anno MCLIIII, obiit Eustachius, abbas Gemeticensis, xvii kalend. januarii. Eodem anno, captus est Galerannus, comes Mellentius, a suo nepote Roberto de Monteforti. Petrus monachus Cluniacensis factus est abbas Gemeticensis. Ipso anno obiit Eugenius papa, cui successit Adrianus, gente Anglicus, et eodem anno mortuus est Stephanus, rex Anglorum, mense octobri, qui regnavit circiter xix annis. Successit ei in sequenti natali Domini, eodem anno, Henricus, filius Gaufridi comitis et imperatricis, vir magnæ sapientiæ et virtutis.

Henricus, dux Normannorum, filius Mathildis imperatricis, xiii°. kalend. januarii, apud Westmonasterium, est electus et in regem unctus. Hæc sunt autem (4) quæ habuit de ecclesia Rotomagensi, tempore ducatus sui, videlicet : anno MCLIIII, triginta tres marcas auri de tabula quæ solebat poni ante altare et unum textum aureum cum lapidibus pretiosis et duo candelabra argentea valentia triginta marcas. Tempore vero regni, habuit coronam (5) auream valentem trecentas marcas argenti, quam rex Henricus avus suus in testamento suo ecclesiæ Rotomagensi donaverat ad emendum reditum ad usus canonicorum. Tempore guerræ inter ipsum et filium suum, quando civitas Rotomagensis obsessa est, anno MCLXXIIII, habuit calicem aureum sex marcarum et decem et septem marcas auri de residuo tabulæ prædictæ et duas pelves argenteas octo marcarum et scutellam argenteam octo marcarum quam dominus Robertus de Novoburgo (1) in testamento suo ecclesiæ Rotomagensi donaverat, et textum argenteum valentem quadraginta libras Andegavenses (2).

Hoc anno, Robertus, abbas Sancti Michaelis de Monte, tractatum fecit de abbatibus et abbatiis Normannorum et fundatoribus earum (3).

ANN. 1156.

Anno MCLVI, signum crucis in luna visum est. Tonitrua magna audita sunt et gravis exstitit pestilentia.

ANN. 1160.

Anno MCLX, obiit Constantia, regina Francorum, quæ venerat de Hispania, et rex Francorum Ludovicus duxit aliam, nomine Adelam, filiam Tetbaldi comitis, sororem Tetbaldi et Henrici, et eodem anno Henricus, filius Henrici regis Anglorum, desponsavit filiam regis Francorum, et propterea regi Anglorum reddita sunt castella de Vulcassino, Gisortium et cætera, sicut ante compromissum fuerat. Hoc etiam anno, obiit Adrianus papa cui, per dissensionem Romanorum, duo successerunt Victor, quem imperator suscepit, et Alexander III, quem reges Angliæ et Franciæ susceperunt.

ANN. 1161.

Anno MCLXI, obiit Theobaldus Cantuariorum archiepiscopus. Trium Magorum corpora de Mediolanensi urbe translata sunt apud Coloniam.

ANN. 1162.

Anno MCLXII, Thomas Becchet, cancellarius regis Henrici, ordinatus est archiepiscopus Cantuariorum, et eodem anno multa tonitrua audita sunt, et fulmina sæpe ceciderunt (4).

(1) Mutandum nomen pontificis et legendum : *Eugenio III*. A. CH.

(2) De Gilleberto Porretano videsis *Histoire littéraire de la France*, t. XII, p. 466-467. A. CH.

(3) Ista pluviarum inundatio nobis jam innotuerat, ex *Chronico Mortuimaris*, ap. D. Bouquet, t. XII, p. 783, A, et ex *Appendice* Roberti, *Ibid.*, t. XIII, p. 293, B, qui quidem Robertus, loco citato, famem sacrumque ignem hoc anno sævisse haud omisit. L. D.

(4) Instrumento quo recensentur omnia ad thesaurum ecclesiæ Rotomagensis XII^mo^. sæculo pertinentia, hunc locum prorsus illustrandum decrevimus. Quod ex *Chartulario cathedralis ecclesiæ Rotomagensis* (in Bibliotheca ejusdem civitatis nunc asservato sub n°. 38. 101. Y.) desumptum in Appendice reperietur. L. D.

(5) Tunc enim nostri duces iidemque Anglorum reges, imminente supremo die, regia ornamenta preciosasque vestes celeberrimis ecclesiis legare solebant. Exempli causa, Mathildis regina clamidem operatam ex auro, quæ in ipsius camera erat, ad cappam faciendam, coronam quoque et sceptrum Sanctæ Trinitati contulit; de quo vide Chartularium hujusce parthenonis, apud Nationalem Parisiensem Bibliothecam, latinorum codicum numero 5650, folio 24 recto. Quinto decimo sæculo, a Baiocensis ecclesiæ canonicis Guillelmi Conquæstoris pallium summa cura servabatur, teste Thesauri Inventario, quod amicus noster Dominus Guerin, ejusdem ecclesiæ canonicus, nobis ostendit. Idem gloriosus rex, quum vitæ terminum sibi adesse videret, Cadomensi Beati Stephani cœnobio coronam qua in celebrioribus festivitatibus inter sacra missarum solemnia coronabatur, cum sceptro et virga et pretiosi lapidis calice aureisque candelabris et cæteris ad coronam pertinentibus, ex *Neustria pia*, p. 638. De quibus insignibus redemptis, adeas librum amici nostri D. Léchaudé d'Anisy (*Mémoires de la Société des Antiquaires de Normandie*, t. XV, p. 201). Deprecatorias monachorum Sancti Stephani litteras, quibus gallice scriptis prædicto loco occurres, non ad Ricardum I regem, sed ad Ricardum nomine secundum, fuisse directas sagax lector animadvertat. L. D.

(1) Robertus de Novoburgo, totius Normanniæ vicecomes aut vicedominus, id est dapifer, innumeris divitiis pauperes inter et ecclesias divisis, in monasterio Becci religionis habitum, anno 1159 kalendis augusti, induit. Eodem mense, tertio videlicet kalendas septembris, ad superiores auras evolavit; *Chronicon Becci*, ad annum 1159, ap. *Neustriam piam*, p. 479; cf. La Roque, *Histoire de la maison d'Harcourt*, t. III, p. 148, et Mabillon, *Annales ordinis Sancti Benedicti*, t. VI, p. 317. L. D.

(2) Eadem invenies in ms. codice *Bibl. publ. Rotomag.*, qui dicitur *Liber eburneus* et partim XII°. sæculo exaratus est.

(3) Hoc Roberti de Monte opus editum est a Dacherio ad calcem Guiberti. — Et in recentiore *Monastici Anglicani* editione L. D.

(4) In *Appendice ad Sigebertum*, quæ fulgura tempestatesque hujus anni mense julio acciderint, Robertus de Monte annotavit, ap. D. Bouquet, t. XIII, p. 299. L. D.

eadem die decimam habuerunt, xxxi libras et xiiii solidos, de quibus habuerunt xxxvii canonici qui tunc fuerant, singuli xvi solidos Turonenses. Eodem anno kalend. martii fuit eclypsis solis apud Rotomagum, et incœpit ante tertiam et duravit usque post nonam. Eodem die, ut dicebatur, pluit sanguis apud Andeliacum in tribus locis qui a multis visus fuit et collectus. Dedit et eodem anno Walterus archiepiscopus capitulo Rothomagi capellaniam de Blia integre, retenta sibi et successoribus suis in perpetuum donatione quatuor præbendarum, quarum singulæ debent esse de quindecim marcis. Donatio vero centum solidorum Sterlingorum clericis chori, et centum solidorum pauperibus civitatis per manum capituli fiet (1).

Ann. 1207.

Anno MCCVII (2). In Annuntiatione dominica dedit Walterus archiepiscopus capitulo Rotomagi ecclesiam de Bordinvilla (3) et... xvi kalend. decembris obiit dictus Walterus venerabilis Rotomagi archiepiscopus magnificus benefactor ecclesiæ Rotomagi et sedit xxiii annis, mensibus ix. Eodem anno, die dominicæ nativitatis in sero facta sunt tonitrua et coruscationes in cœlo. Eodem anno, xi kalend. aprilis, positum fuit interdictum in ecclesia Rotomagi et in omnibus ecclesiis civitatis pro homine magistri Guillelmi de Marleis (4) canonici, quem cepit Major pro quadam meslea facta in civitate, et detinuit usque ad diem lunæ xii kalend. aprilis. Rex autem sæpius scripsit, tum monendo, tum præcipiendo, tum comminando; et postea nobiles et majores de Consilio suo misit, scilicet B. de Roya (1), fratrem Guarinum familiarem clericum suum vices cancellarii agentem (2) et Johannem de Rovereyo (3), et alios ut capitulum inducerent ad relaxandum interdictum pro honore Regis et postea audietur causa detentionis hominis canonici, et bene facerent injuriam remitti pro honore Ecclesiæ Rotomagensis; sed nullatenus potuerunt impetrare, donec ille homo liber fuit redditus domino suo in pleno capitulo per manum Majoris qui detinuerat, præsentibus in capitulo ccc hominibus et amplius; et Major dedit statim vadium in manu Decani pro emenda, pro detentione et captione hominis canonici, et plegios dedit de emenda Johannem de Rovereio, tunc castellanum de Archis (4), Robertum de Fresban (5), et Gaufridum de Mesnilio milites, et sic in laude Dei,

(1) De quo dono ipsius pontificis litteras, ex *Chartulario ecclesiæ Rotomagi*, foliis 60 verso et 104 recto, sub numeris 65 et 163 descriptas, amico lectori placeat accipere: « Omnibus ad quos presens scriptum pervenerit, Walterus, Dei gratia, Rothomagensis archiepiscopus, salutem in Domino. Ex approbata descendit consuetudine ea que pie et juste ecclesiis seu ecclesiasticis viris conferuntur, ne oblivione vel invidentium sive etiam ambitiosorum malignitate depereant, litterarum apicibus annotare et auctoritate pontificali communire. Inde est quod ad universitatis vestre noticiam volumus pervenire quod quum bone memorie Ricardus, rex Anglie, et Johannes, frater ejus, illustris rex Anglie nobis et ecclesie nostre capellaniam de Blia cum pertinenciis suis contulissent, et eandem donationem J. Anagninus episcopus, tunc apostolice sedis legatus, et Gaufridus, Eboracensis archiepiscopus, autenticis suis confirmassent, nos, ad devotionem quam nostrum erga nos habet capitulum respectum habentes, totum jus, quod in eadem capellania habebamus, eidem capitulo contulimus, quicquid dispositionis aut utilitatis in ea nobis competebat, in usus ipsius capituli, concessione nostra transfundentes, retenta tantum nobis et successoribus nostris in ipsa donatione quatuor prebendarum, unaquaque quindecim marcarum. Ut autem hec nostra concessio rata et inconcussa permaneat, eam presenti scripto et sigilli nostri patrocinio duximus corroborandam. Actum anno ab incarnatione Domini m°cc° vi° apud Rothomagum, in Annuntiatione dominica. » L. D.

(2) Cf. Labbæi *Chron. Rotom.*, l. c., p. 370, et *Script. rer. Gall.*, t. XVIII, p. 359.

(3) In eodem codice, folio 120 verso, sub numero 216, transcripta legitur carta, qua Walterus capitulo Rotomagensi dat ecclesiam de Bordinvilla (gallice *Bourdainville*), quam post multos labores et expensas contra Walterum de Bordinvilla, militem, evicerat. Quod instrumentum nullas chronologicas præ se fert notas, atque in hunc modum explicit: « Testibus: Roberto de Sancto Nicholao, magistro Gilleberto de Marl', canonicis Rothomagensibus; magistris Everardo de Calvincuria et Johanne Britone, Willelmo de Sancto Paulo, et Radulfo de Daubue, presbiteris, Laurentio et Radulfo de Sancto Machuto, clericis, et multis aliis. » L. D.

(4) Alias *de Marlois*; ap. Labbæum *Marliz*. — Gislebert, alias Gillebertus, de Marleiz, ipse Rotomagensis canonicus, testis adest cuidam chartæ Walteri archiepiscopi de decima reddituum Deppæ, in *Chartulario ecclesiæ cathedralis Rotomagensis*, foliis 83 verso et 113 verso, sub numeris 121 et 194. Eumdem Gislebertum nominatum invenimus in litteris quibus inter Radulfum de Lindeboe et Walterum de Constanciis super ecclesia de Millevilla componitur, apud *Chartularium Philippi Alenconiensis* folio lxxvi recto et verso. Confer *Magnum Chartularium Sancti Wandregesili*, folio VII^{xx} XV verso, n°. I. I. xxxviii. L. D.

(1) Bartholomeum de Roia in Normannia Philippi Augusti ejusque successorum negociis summo studio insudasse hinc et inde novimus. De Bartholomeo de Roia, Franciæ camerario, Rotomagi scaccarium anno 1230 tenente, videas nostrum *Trésor des Chartes*, parte prima, p. 58, sub numero 370. Sequenti etiam anno, ex quadam schedula *Pratellensis Chartularii* folio VII^{xx} VIII recto inserta, Pasche scaccario apud Rotomagum interfuit. L. D.

(2) Is Garinus, qui et Silvanectensis episcopus, regnante Philippo rege, dum cancellarii vices expleret, eximiis registris, quæ Nationalem Bibliothecam frequentantes adhuc magnopere mirantur, conficiendis invigilavit. L. D.

(3) Nobis diligentissime perpendentibus quomodo res normannicas Philippus Augustus ejusque successores gesserint non semel Johannis de Rouvraio nomen occurrit. *Chartularii cathedralis ecclesiæ Rotomagensis* folio 137 verso, sub numero 254, requirenda est sententia quam in Willelmum de Sancto Audoeno de Brenenborse, militem, edidit noster « Johannes de Rovereio, castellanus de Archis, tanquam justiciarius domini regis ». Circa annum 1204, quinquaginta libratas terræ apud Lovetot assignavit Odoni Trosello, ut videre est folio 95. *Chartularii Sancti Wandregisili*, inter Nationalis Bibliothecæ latinos codices 5425 signati. Anno circiter 1208, de quibus juribus in Archiarum ballivia rex uteretur, inquisivit, ex *Registro Philippi Augusti* Colbertino, ms. Nationalis Bibliothecæ codice n°. 8408, 2. 2. B, folio XIII^{xx} XVIII verso. Anno 1240, notum fecit se a monachis Sancti Audoeni Rotomagensis accepisse ccc libras Turonensium, quas sibi de mutuo debebant, ut constat ex instrumento quod legimus folio 575 ms. codicis, in Inferioris Sequanæ Archivis signato inter chartularia numero 28 bis, sub rubrica *Foresta. D. VIII*, vel numero 747. L. D.

(4) De hoc Johanne vide superiorem notulam. Ejus nomen mutilum extat in catalogo Archensium castellanorum, quem ad calcem Historiæ castri Archiarum compilavit amicus noster Achille Deville. In laudato enim opere dicitur gallice Jean de Reviers, quod latine Johannes de Reveriis haud immerito interpreter. L. D.

(5) Vel *Frosban*. Ap. Labbæum, l. c., p. 371, *Defrel.*

libertate Ecclesiæ plene reddita, solutum est interdictum (1).

ANN. 1208.

Anno MCCVIII, Robertus cognomento Pullus, vir simplex et pius, factus Rotomagi archiepiscopus de quo:

Successit Robertus ei, quem vita probavit
Sobria, recta fides, mens pia, larga manus.

Et:

Illi successit præsul Robertus, egenos
Veste, cibis recreans, cleri defensor, amator
Juris, in Ecclesia devotus atroxque tyrannus (2).

Eodem anno (1), multi in Gallia cruces in pectoribus affixerunt pugnaturi contra Albigenses hæreticos. Interfectus est dux Saxonum (2); et Otto ab omnibus in imperatorem est electus. Eodem quoque anno interdicta est Anglia pro magistro de Languetona, viro honesto et litteratissimo, consecrato in archiepiscopum Cantuariensem præter Johannis Regis assensum (3), et rex quosdam episcopos ex Anglia expulit, et omnes monachos Cantuarienses qui per diversas abbatias Franciæ et Normanniæ dispersi sunt. Propter, quod rex post multas admonitiones, quum nollet acquiescere, excommunicatus est, et statim orta est discordia inter dominum papam ipsum et cives Romanos pro quibusdam castris.

ANN. 1210.

Anno MCCX, kal. augusti, exercitus Philippi regis, qui apud Meduntam constiterat, progressus est contra quosdam Britones, qui castrum quod munierant continuo reddiderunt.

ANN. 1211.

Anno MCCXI (4), Johannes, rex Angliæ, totam Waliam acquisivit et promontorium, quod Serandone dicitur, transivit, quod nullus prædecessorum suorum facere potuit, et multo plura acquisivit, quam in Normannia amiserat. Totius vero Hyberniæ dominus erat, ita quod etiam regem Cognac (5) tributarium sibi fecerat.

Hoc anno (6), Johannes, rex Angliæ, promisit D. papæ, quod archiepiscopum Cantuariensem Stephanum de Lasgeton (7) reciperet, et damna Dei Ecclesiæ illata restitueret, et postulavit ad hæc videnda legatum mitti, et missus est a domino papa Innocentio (8) Pandulphus subdiaconus ejus. Sed rex, audito mandato domini papæ, quum peteret ab eo idem diaconus juramentum secundum formam Ecclesiæ ut sic absolveretur rex, neque jurare voluit, neque archiepiscopum recipere, neque damna restituere, et sic rediit ille legatus, infecto negotio.

Eodem anno, rex Francorum Philippus dedit monachis Gemeticensibus ad preces et petitionem domini Alexandri, tunc abbatis, publicam stratam, a via quæ ducit a Lendine (9) per forestam Brotonæ

(1) Confirmatas Normanniæ ecclesiæ libertates nunciaverunt Rotomagenses canonici missis ad Normanniæ episcopos litteris, quas publici juris fecit vir doct. Desroches, in tomo XIV, p. 443 et 444, *Commentariorum* Societatis Antiquitatum Normanniæ. Quum vero istam epistolam ad fidem manuscripti cartularii Baiocensis capituli, f°. LXXVII V°., emendaverit vir doct. Leop. Delisle et mihi cum summa benignitate emendationes commiserit, litteras iterum edendas censui variis lectionibus illustratas. « Venerabilibus patribus et dominis R. Baioc. Willelm. Abrinc. Luc. Ebroic. Silvest. Sagiens. Jordan. Lexov. Vivian. Constant., Dei gratia, episc., R. decanus totumque ecclesiæ Rothom. capitulum salutem pro vero salutari. Post interdictum pro detentione hominis nostri canonici positum in civitate Rothom. in Annuntiatione dominica, venerunt ad nos ex parte domini regis frater G. (Guarinus), B. de Rola et J. de *Roverei*, et dixerunt quod dominus rex jus et libertates ecclesiarum Normanniæ et aliarum in omnibus volebat observari, et petierunt quod nihil nobis vindicaremus quod non habuerimus tempore Henrici regis et Ricardi aut domini regis Franciæ, et nos eisdem respondimus quod nihil petebamus nisi commune jus nostrum et ecclesiarum Normanniæ secundum tenorem cartæ regis Willelmi de Concilio Insulæbonæ, et ipsi quæsierunt a nobis si vellemus quod dominus *rex* faceret inquisitionem *fieri* de usu illius cartæ, et respondimus quod probare parati eramus usum cartæ illius ubi deberemus coram ordinario nostro et *dominus rex*, si ei placitum esset, posset a vobis, qui fideles ejus estis, veritatem inquirere, multa proposuerunt circa hujusmodi et semper institerunt ut fieret inquisitio et per abbates et per laicos, sed tamen non per illos de communia, et nos respondimus tandem de communi *consilio concessimus quod* coram domino archiepiscopo usum præfatæ cartæ de manupasto habito parati *erimus* probare et *bene concedebamus* quod rex mittere aliquem de suis qui interesset *receptioni testium. Quod quidem* prædicti nuncii nullatenus concedentes recesserunt. Major de communia, J. etiam de Pratellis et quidam alii contra nos clamabant quod libertatem de manupasto habere non debebamus de hominibus juratis communiæ. In crastino autem ad nos venerunt iidem nuncii iterum *a domino rege missi*, et obtulerunt nobis reddere hominem canonici quietum et penitus absolutum, et petierunt interdictum relaxari. Nos autem respondimus quod Major ipsum detinuerat contra justitiam et libertatem Ecclesiæ et post requisitionem et propter hoc fuerat interdictum positum *nec poterat* nec debebat relaxari nisi emendatione a Majore prius facta; et sic tandem redditus est nobis homo canonici *liber* et absolutus, et Major in manu decani, in pleno capitulo, coram nunciis regalibus et populo innumerabili qui ad videndum rei exitum convenerant emendam vadiavit, et plegios dedit bonos et sufficientes, sicque omnibus ad laudem *Domini*, et honorem Ecclesiæ *rite peractis, solvimus interdictum.* »

(2) Sic in nostro codice ms., sed Pomerayus ex alio codice in *Archiepiscoporum Rotomagensium Historia*, p. 445 edidit :... « atroxque tyrannus. »

(1) Cf. Labbæi *Chron. Rotom.*, l. c.

(2) Melius *Suevorum*, Philippus scilicet Suaviæ dux.

(3) Ista verba non invenies in Labbæi *Chronico*, l. c.; quibus omissis, nulla datur copia hunc locum recte intelligendi.

(4) Cf. Labbæi *Chron.*, p. 371.

(5) De Connaught — *Connacia* habet carta Europæ in medio ævo, auctore d'Anville. A. CH.

(6) Cf. Labbæi *Chron.*, l. c.

(7) Sic in ms. pro *Langueton*. — Cf. de pontifice illo Stephani Birchingtoni *vitæ archiepiscoporum Cantuariensium* in *Anglia sacra*, t. I, p. 10. A. CH.

(8) Innocentius ille tertius est nomine, qui sceptrum pontificale tenuit ab anno 1198 ad annum 1216. A. CH.

(9) Hodie *Le Landin*, super Sequanam, non procul a Ponte Audomari. Gemmeticenses hic portum habuisse suspicor, et constat ex charta quam invenimus in chartulario vetustissimo Gemeticensi (Archiv. Sequanæ-Inferioris, n°. 20 bis, charta 251) quam lectori dare juvat, illos enisos fuisse ne alio portu ibi uterentur et voti compotes fuisse : « Omnibus Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, Petrus de Brionne, miles, salutem in Domino : Noverit universitas vestra quod, quum quidam portus fuisset constitutus super Secanam in terra mea de Lendineo, ubi plures naves onerabantur

usque ad capellam Sancti Vedasti (1), viginti quatuor pedes in latitude, et septem viginti et decem perticas (2) in longitudine continentem.

Hoc anno, xvi kalend. augusti, Robertus archiepiscopus Rotomagi dedit priori et conventui Beatæ Mariæ de Bello-loco (3), ecclesiam Sanctæ Mariæ de Heuglevilla (4) cum capella Sancti Nicolai de Groffay (5) ad eamdem ecclesiam pertinentem et omnibus earum pertinentiis.

ANN. 1213.

Eodem anno, viii kalend. novemb. obiit Alexander abbas Gemeticensis, vir divinis et sæcularibus litteris plurimum eruditus, cui successit ipso anno iii kalend. novemb. Willelmus ejusdem ecclesiæ prior.

et exonerabantur mercibus plurimis et batelli, et idem portus ibi nec deberet esse de jure neque de antiqua consuetudine, et abbas et conventus Gemmeticensis dampnum patientur et gravamen occasione ejusdem portus; tandem ego volui et concessi prædictum portum penitus amoveri, ita quod ego et heredes mei aut homines nullum ibi de cætero portum poterimus facere nec habere, nec navis aliquis ibi de cætero onerabitur aut exonerabitur quibuscumque mercibus nec batellus. In cujus rei testimonium ego tradidi prænominatis abbati et conventui præsentes litteras sigilli mei munimine confirmatas. Actum anno gratiæ m°. cc°. xxx°. sexto, mense aprili. »

(1) *Sancti Vedasti*. De hac Sancti Vedasti capella, antiquorum testimonia scriptorum, quæ A. Du Monstier in *Neustria pia*, p. 299, congessit, hic afferenda duximus: « Anno igitur 876 .... nobilis Rollo ... Gimejas venit .. . sanctumque reputans esse locum, morari illic distulit, sed ultra flumen ad capellam Sancti Vedasti naves applicuit: corpusque cujusdam virginis nomine Hameltrudis .... super altare Sancti Vedasti posuit, huicque capellæ ex nomine virginis nomen sempiternum inhæsit .... » Hucusque Dudo, libro secundo; cui consonat Guillelmus Gemeticensis, libro secundo, capite nono: « Gemmeticum veniunt, corpus sacræ virginis Ameltrudis, quod a Britannia asportaverant, in capella Sancti Vedasti, quæ trans flumen est, super altare ponentes, quæ capella hactenus illius virginis nomen retinet. » Matheus autem Westmonasteriensis: « Gemeticum veniunt; ubi quandam virginem sacram, nomine Ameltrudem, quam ab Anglia asportaverant in capella Sancti Vedasti super altore relinquunt. » L. D.

(2) *Perticas*. Haud una pertica quondam utebantur Normanni. Sed in Brotonna foresta mediis ætatibus quinque et viginti pedibus constitisse videtur, ex duabus chartis, quarum in una, anno 1183 data, legitur: « cum pertica xxv pedum », apud La Roque, *Histoire de la maison d'Harcourt*, t. IV, p. 1346; in altera autem, quæ a Roberto de Mellento anno 1202 emanavit: « cum pertica xxv pedum », apud Nationalem Bibliothecam, inter chartas quas colligi curavit clarus vir Moreau, capsa 91. L. D.

(3) *In Gallia Christiana*, t. XI, p. 57, legitur: « Eodem anno (1200), in finibus parochiæ Bosci-Episcopi fundatus est prioratus Belli-loci a Johanne de Preaux, qui canonicis regularibus, quos ibi posuit, e monasterio Sancti Laudi Rotomagensis accitis patronatum dedit omnium ecclesiarum, quibus præsentabat, tam in Anglia, quam in Francia. » Boscus episcopus non procul abest a Rotomago, duabus fere leucis.

(4) Tres sunt in Normannia vici Heuglevilla dicti, unus prope Dieppam, alius juxta Yvetum; tertius in decanatu Paviliaci. De postremo, ni fallor, agitur.

(5) Groffay vel Gros-Fay, *opaca fagus*, viculus prope Huglevillam.

ANN. 1214.

Anno MCCXIV, Joannes, rex Angliæ, concessit Deo et apostolis Petro et Paulo regnum Angliæ et Hyberniæ et fecit homagium Deo et apostolis et papæ Innocentio (1); ad cujus judicium statuit, ut de propriis redditibus, pro omni servicio, salvo per omnia denario Beati Petri, Ecclesia Romana mille marchas argenti percipiat annuatim, salvis sibi et hæredibus justiciis, et libertatibus et regalibus suis.

Eodem anno, Robertus de Corcione, sedis apostolicæ legatus, celebrato concilio primum Rhemis, deinde Parrhisiis, Rotomagum venit factoque sermone ad clerum et populum super crucis caractere in auxilium terræ Hierosolymitanæ capiendo, cujus occasione legationis officio fungebatur, Jordanes Lexoviensis, Robertus Baiocensis, Willelmus abbas Gemeticensis, cum decem aliis abbatibus, et clerici et populi multitudinem copiosam cruce signarunt, factaque est tanta crucis capiendæ licentia, ut uterque sexus, omnis ætas, omnis hominum conditio, nec personis sæcularibus exceptis, non obstante etiam conjugali reclamatione, cruce signaretur.

ANN. 1217.

Anno MCCXVII, Petrus Robertus comes Autossiodorensis Romæ consecratus est imperator Constantinopolitanus, qui illico transfretatus a quodam Frizone domino Comageniæ captus est, et intra urbem Duracium detentus. Uxor ejus prospero navigio devenit Constantinopolim.

Interim Anglici quosdam Gallicos manu fortissimos et illustres, convenire in auxilium Ludovici utiliter accinctos, navali prælio devicerunt, inter quos pirata quidam notissimus et infamis, Eustachius, cognomine Monachus (2), capite truncatus est (3).

(1) Vide quod Gregorio septimo homagium illud repetente responderit Willelmus I, ap. Lanfranci *Opera*, ed. d'Achéry, p. 304, col. 2. Cf., si libet, nostram Lanfranci Biographiam, in *Mémoires de la Société des Antiquaires de Normandie*, t. XVII, p. 487, et p. 511, note 13. A. CH.

(2) De Eustachio Monacho videas libellum cui titulus: *Roman d'Eustache Le Moine, pirate fameux du XIII°. siècle, publié pour la première fois d'après un manuscrit de la Bibliothèque royale, par Francisque Michel*, Paris, 1834, in-8°. In prolegomenis editor de Eustachio doctissime disseruit, multorumque testimonia necnon et chartas coadunavit, quibus dicti piratæ gesta et obitus optime illustrantur. Quibus addas notulam quam habes in nostro *Trésor des Chartes*, partis primæ, p. 56, c. 1, n. *a*. In laudatis prolegomenis doctissimus editor *Rotulum misæ* (sic vocatur rotulus quo quotidianas regiæ curiæ expensas clerici quondam inscribebant) neglexit. Ex hoc documento, folio 113, didicimus 7 die junii anno 1209 datas fuisse « Eustachio Monacho, de dono, xl marcas per regem); 10 autem die julii, fol. 119: « Jacobo fratri Eustachii Monachi eunti in Flandriam in nuntium domini regis duas marcas »; 4 etiam die maii anno 1210, « Eustachio Monacho, de feodo suo, xxx marcas. » Quo ad Eustachii mortem paucissima reperies in libro nuncupato: « *Histoire des ducs de Normandie et des rois d'Angleterre, publiée par Francisque Michel, Paris*, 1840, in-8°., p. XLI, n. 1, et p. 201. L. D.

(3) « Il est à remarquer (notavit Franciscus Michel, apud *Roman d'Eustache Le Moine*, p. XLII) que les historiens français ont évité de parler d'Eustache, et même du combat naval dans lequel il succomba. » Inde Novorum Normanniæ Chronicorum auctorem Francis infensiorem libens judicaverim. Ex aliis locis idem deducendum autumavit amicus noster A. Chéruel, cujus requiratur proœmium his Chronicis præpositum. L. D.

Sabbato quoque vigiliæ Sanctæ Trinitatis, Anglici exercitum Gallicum, qui urbem Linconiam obsederat, expugnaverunt. Ibi Thomas, comes Perticensis, juvenis et robustus, interfectus est, et cum eo milites tam mediocres quam illustres ferme cccc. Nec multo post pax inter Henricum regem Angliæ et Ludovicum, quibusdam pactionibus inter eos habitis, reformatur. Ludovicus ab Anglia rediens urbes et oppida et cætera quæ violenter occupaverat libere resignavit. Omnes, qui a Joanne rege per odium capitale discesserant, ad regem Henricum spontanei redierunt, qui sancto ductus consilio omnibus libertates suas et jura, per bonorum virorum juramentum, recognita, reddi jussit. Magister Symon de Languetona et fautores sui, tanquam hæretici condempnati sunt, eo quod sententiam in Ludovicum et suos complices promulgatam inanem esse et irritam prædicabant, et quos excommunicatio ligaverat, absolvebant.

ANN. 1218.

Anno MCCXVIII, Symon comes Montisfortis apud Tholozam quam obsederat interfectus est.

Symon, comes Montisfortis, in obsidione Tholozana percussus lapide interioris petrariæ in crastino nativitatis Beati Joannis Baptistæ moritur, miles catholicus, magnanimus et honestus. Hic ejus occasus Beatum Dominicum, per visionis mysterium, divina sibi virtute revelante, non latuit, sicut legitur in vita ejus.

Philippus, Francorum rex potentissimus, qui Othonem imperatorem et quam plures in bello campali devicerat nobiles et potentes, Normanniam acquisivit et sibi appropriavit. Acquitaniam et maximam partem Pictaviæ sibi subjugavit, qui semper prosperos habuit ad vota successus, ecclesiasticæ libertatis præcipuus conservator dormivit in Christo, et in ecclesia Beati Dionysii sepelitur. Mirabile fecit testamentum, Johanni regi Hierosolymitano centum mille libras Parisienses, totidem Templariis, totidem Hospitalariis dedit, et plura bona relatu digna fecit. Multos in regno comitatus acquisivit, scilicet Viromandensem, Claromontensem, Bellovacensem, Pontisarensem, Alentionensem, Cenomanensem, Turonensem, Andegavensem et Pictavensem.

ANN. 1227.

Anno MCCXXVII, in vigilia assumptionis Sanctæ Mariæ circa horam nonam orta est tempestas valida, videlicet tonitrui, fulguris et grandinis nimiæ grossitudinis, mentes hominis valde terrens. Ventus autem vehemens factus est horribilis, arbores cum fructibus earum eradicans et turres ecclesiarum subvertens.

Eodem anno, dominus Radulphus abbas quum rexisset ecclesiam Sanctæ Trinitatis fere xxx annis regimini ejusdem ecclesiæ resignavit, cui successit dominus Adam (1) Bacon, et in eodem anno creatus [est] abbas Sancti Audoeni, et non multo post curam pastoralem resignans ex permissione abbatis Willelmi Sanctæ Trinitatis juxta prædictam ecclesiam in parvo domicilio se reclusit, ubi vigiliis et orationibus, jejuniis, psalmis cæterisque pietatis operibus carnem suam jugiter intentus die noctuque studuit macerare et Domino deservire solum cœlestia meditando. Exinde audita fama tanti viri circumquaque reges et reginæ, nobiles et ignobiles, episcopi, clerici, sæculares et religiosi cœperunt ad eum convolare ejusque orationibus se devote commendantes. Huic successit in ecclesia Sanctæ Katerinæ domnus Willelmus dictus Vastel, prior Blidæ, post cujus recessum in ecclesia Blidæ fuit prior Theobaldus de Leonibus. In ecclesia Sancti Audoeni, post recessum domni Adæ *Reclusi*, fuit Hugo abbas, ejusdem loci monachus. Tempore Willelmi abbatis Sanctæ Katherinæ, facta fuit in eadem domo major aula cum cellario. Hic etiam, a parte orientali, novo murorum ambitu abbatiam circumcinxit. Hic etiam thecam Beati Boniti fecit cooperiri lapidibus pretiosis, auro et argento.

ANN. 1229.

Anno MCCXXIX (1), Theobaldus de Ambianis, archiepiscopus Rotomagi, in festo Sancti Firmini (2), quod ipse de assensu capituli triplici festo statuerat celebrari, in eodem festo celebratis solemniter divinis laudibus ad festum pertinentibus, in confinio diei et noctis, diem clausit extremum. Et nota quod tunc tot festa triplici modo non agebantur in ecclesia Rotomagensi sicut modo, quia de festis Sanctorum non agebant tripliciter nisi de Beata Maria, de Sancto Romano et passione apostolorum Petri et Pauli (3). Ipse autem Theobaldus statuit tripliciter celebrari festa utriusque Sancti Johannis, Baptistæ et Evangelistæ, et ut præmissum festum Sancti Firmini, quia de Picardia oriundus. Eodem anno electus fuit in archiepiscopum a majore parte capituli Thomas de Freauvilla tunc decanus Rotomagensis ecclesiæ, sed alia pars viriliter restitit, et duravit contentio per annum et amplius, et tandem in curia Romana finita fuit.

ANN. 1230.

Anno MCCXXX, Philippus comes Boloniæ, Philippi regis Francorum filius, collecto exercitu magno, maximam partem terræ Theobaldi comitis Campaniæ depopulatus est.

ANN. 1231.

Anno MCCXXXI, domina regina et Ludovicus filius ejus, rex Francorum, habito colloquio cum baronibus suis, consilio et auxilio viri nobilis Johannis Hierosolymorum regis pacem inter Philippum comitem Boloniæ et Theobaldum comitem Campaniæ quibusdam pactionibus inter eos habitis reformaverunt. Hoc anno obiit Sanctus Antoninus de ordine Minorum, de villa Ulyxbona (4) oriundus, idibus junii. His temporibus claruit Sancta Elizabetha, filia regis Hungariæ in Alemannia.

Mauricius, Rotomagi archiepiscopus, statuit ut monachi Gemeticenses tunicas habeant de biennio in biennium et dormiant in rogationibus et vigiliis Sanctorum post prandium.

Statuit et de annatis canonicorum ingredientium religionem hoc modo :

« In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, nos

(1) De domno Ada vide litteras quas in nostro *Trésor des Chartes*, sub partis primæ numeris 395 et 397, p. 63, publici juris fecimus, et ejusdem vitam quæ in Novis Chronicis inter anni 1256 eventus descripta est. L. D.

(1) Cf. Labbæi *Chronic. Rotomag.*, p. 375.

(2) Anni 1259, ex recentiori stylo, mense februario, in honorem Theobaldi archiepiscopi Rotomagensis, qui in civitate Ambianensi traxerat originem, et qui in ecclesia Rotomagensi festum Beati Firmini ordinaverat Beatus decanus et capitulum Ambianenses se festum Sancti Romani quotannis ix kalendas novembris celebraturos esse pepigerunt. Integras ipsorum litteras reperies in *Chartulario Philippi Alenconiensis*, f. CCXXII recto. L. D.

(3) Ista et sequentia penitus omittuntur in Labbæi *Chronico*.

(4) Suspicor nomen corruptum pro Ulyssipone vel Olisippone, vulgo, apud nos, *Lisbonne*.

Mauricius, Dei gratia, Rotomagensis archiepiscopus, et capitulum Rotomagi, in nostro capitulo constituti, etc., statuimus : ut quicumque fratrum nostrorum, canonicorum videlicet Rotomagensium ad religionem quamcumque de cætero transire voluerit, ut ad hoc fortius invitetur, ex quo votum suum per habitus assumptionem solempne reddiderit, ita sit ei licitum fructus præbendæ suæ et commune usque ad finem anni percipere et de iis pro voluntate sua disponere, sicut in ultima voluntate facere consueverunt ecclesiæ nostræ canonici quum decedunt (1). Actum anno Domini mccxxxiii, die octavarum nativitatis Beatæ Mariæ. »

ANN. 1232.

Anno MCCXXXII, hyems fuit permaxima : gelu gravissimum cœpit in natali Domini et duravit et perduravit fere continuum usque ad purificationem Beatæ Mariæ.

ANN. 1233.

Anno MCCXXXIII (2), magister Stephanus de Castroduni factus est decanus Rotomagi per Mauricium archiepiscopum quia compromisit capitulum in ipsum.

Eodem anno, Philippus, comes Boloniæ, diem clausit extremum (3). Post cujus obitum, Robertus comes Drocarum (4), cito decessit. Eodem anno, Richardus Marescallus (5), dominus Longavillæ et Dinanti, in Hybernia interfectus est. Eodem anno, dedicata est ecclesia Sancti Georgii de Bankervilla (6) a venerabili patre nostro Mauricio Rotomagi archiepiscopo, iiii idus septembris. Hoc anno dedicata est major ecclesia Sanctæ Trinitatis de Monte Rotomagi a domino Mauricio Rotomagensi archiepiscopo in festo Sanctorum Johannis et Pauli, tempore domini Willelmi abbatis præfatæ ecclesiæ, tempore interdicti inchoati a vigilia Sancti Michaelis, et relaxavit idem archiepiscopus quolibet anno in die anniversario ejusdem dedicationis usque ad finem xxi dies de injunctis pœnitentiis (7) vere pœnitentibus scilicet et confessis. Die Sanctorum Crispini et Crispiniani cessavit interdictum a domino Mauricio illatum. Eodem anno, fuit æstas pluviosa; vindemiæ Vernonenses (1) defecerunt; caletum cum sementibus suis similiter defecit.

ANN. 1234.

Anno MCCXXXIV, rex Franciæ Ludovicus accepit uxorem Margaretam, comitis Provinciæ [filiam], circa Domini Ascensionem.

ANN. 1235.

Anno MCCXXXV, multi nobiles et potentes crucis caractere signati sunt in auxilium terræ Sanctæ Hierosolymitanæ capiendum per prædicationem cujusdam legati domini papæ et eodem anno fut mortalitas magna (2).

ANN. 1236.

Anno MCCXXXVI, siccitas magna in pluribus locis, et in ipsis locis fuit fructus terræ tenuis.

ANN. 1238.

Anno MCCXXXVIII (3), combustio Rotomagi a vico Judæorum usque ad fontem Gaalor in crastino Sanctorum Gervasii et Prothasii. Hoc anno Richardus de Montibus captus et detentus pro homicidiis et furtis, et judicatus et traditus servientibus ad suspendendum die martis in rogationibus per contradictionem capituli remansit servatus usque in diem Ascensionis et tunc fuit redditus Sancto Romano. Eodem anno fuit translata corona Salvatoris a civitate Constantinopolitana et recepta in crastino Sancti Laurentii martyris a rege Ludovico juniore cum magna reverentia (4).

ANN. 1239.

Anno Domini MCCXXXIX (5), die martis post Pascha, archiepiscopus Petrus arripuit iter versus curiam Romanam, sed impeditus guerra imperatoris ultra Lugdunum non processit. Eodem anno, in festo Sancti Johannis Baptistæ, arripuerunt iter Hierosolymitanum rex Navarræ, comes Montis Fortis, comes Barri, Robertus de Cortenay et multi alii barones et milites regni Franciæ. Hoc anno, in vigilia Beati Jacobi apostoli post completorium visum est signum admirabile multis in cœlo, videlicet cometes igneus incipiens a meridie attingens usque ad aquilonem, et duravit per spatium dimidiæ horæ.

Anno eodem, in crastino Sancti Martini hyemalis capti sunt in bello a Sarracenis comes Montisfortis et multi alii barones regni Franciæ; comes

(1) De hac consuetudine antiquitus Rotomagi servata, plurimas vidimus chartas, in *Ecclesiæ cathedralis Chartulario*, ut pote Rotrodi archiepiscopi (n°. 23), Alexandri (n°. 29) et Cœlestini (n°. 127) paparum. L. D.

(2) Cf. Labbæi *Chronic. Rotomag.*, p. 376.

(3) Cf. *Chronicon Fiscannense*, ad annum 1233, apud Labbe, *Nova Bibliotheca*, t. I, p. 328, et *Gesta Sancti Ludovici*, auctore Guillelmo de Nangiaco, ap. D. Bouquet, t. XX, p. 322. Hic Philippus, filius regis Philippi Augusti, multas in Normannia obtinuerat ditiones, videlicet Moritolium, Domnifrontem, Albamarlam, Alisiacum, Insulam Bonam, etc. L. D.

(4) De terris quas in Normannia ex dono regis tenuit Robertus ille Drocensis comes, vide nostrum *Trésor des Chartes*, parte prima, p. 55, n°. 361. L. D.

(5) Cf. quæ de eodem Ricardo Marescallo edidimus in nostro *Trésor des Chartes*, p. 43 et 44 primæ partis. L. D.

(6) Sic in ms. codice; melius *Bauchiervilla* vel *Balchervilla*; vulgo St. Georges de Boscherville juxta Rotomagum : de quo cf. Ach. Deville, *Essai sur l'abbaye de St. Georges de Boscherville.*

(7) Cf. quæ amicus noster A. Charma, in Memorialibus nostræ Antiquariorum Societatis, ad illustrandam quamdam Ardennensis ecclesiæ schedulam, t. XVII, p. 537—554, disseruit. L. D. — De consuetudine pœnitentiarum in dedicatarum ecclesiarum anniversariis relaxandarum nonnulla in Appendice E, ad voluminis calcem, habebis. A. CH.

(1) Vetustos Normannorum mores perscrutantibus satis compertum habetur, quam vinearum ferax fuisse dicatur Vernonis aut Longæ villæ territorium. Non igitur mirandum quod Vernonensium vindemiarum casus in Normannicis annotetur Chronicis. Insuper animadvertere velis hæc annalia in Sanctæ Catharinæ monasterio fuisse redacta, nec obliviscaris idem monasterium in prædictis locis plures obtinuisse vineas, de quibus legendæ sunt nonnullæ litteræ, foliis 427 et sqq. *Chartularii Sanctæ Trinitatis*, a clarissimo viro Ach. Deville editi, necnon et chartula, quam in nostro *Trésor des Chartes*, p. 74, sub partis primæ numero 452. L. D.

(2) Ex *Chronico Kemperlegiensi*, in Baluzii *Miscellaneorum* tomo I, p. 524, in 8°. editorum, et ex Guillelmo de Nangiaco, ab amico nostro P. Marchegay in *Archives d'Anjou*, p. 454, adducto, hanc mortalitatem ex valida fame ortam fuisse conjici potest. L. D.

(3) Cf. Labbæi *Chronic. Rothomag.* l. c., p. 377.

(4) Cf. Labbæi *Chronic. Rothomag.* ad ann. 1239.

(5) Cf. Labbæi *Chronic. Rothomag.*, p. 377.

Barri interfectus est et multi alii. Eodem anno, pridie nonas maii, obiit piæ memoriæ domnus de Rescuchon (1), abbas Gemeticensis, vir providus et discretus, misericors et modestus, in cujus tempore abundavit ecclesia bonis omnibus intus et extra, quam videlicet ecclesiam magna ex parte renovavit ornamentis sericis, et vasis argenteis desuper auro tectis nobiliter decoravit. Præterea, in locis omnibus, semper conventui deferebat mundi gloriam fugiens, vigiliis et orationibus insistebat, et quia bona Domini sui fideliter dispensavit, dubium non est quin ipse sit particeps gloriæ Salvatoris.

ANN. 1240.

Anno MCCXL, quum contentio esset apud vetus Vernolium in curia domni abbatis Gemeticensis inter Galterum Megremeius et Galterum Pigot, qui, ratione consanguinitatis, jure hereditario petebant a Guillelmo præposito de Capellaria totam præfecturam suam, illam videlicet quam idem Guillelmus cum filia defuncti Gaufridi præpositi in maritagium habuerat et in veram possessionem a tempore nuptiarum suarum usque ad annum prædictum præfecturæ ejusdem fuerat. Dicti Galterus Megremeius et Galterus Pigot intendentes a dicto Willelmo dictam præfecturam per judicium fori sæcularis extorquere; dictus vero Willelmus dictam præfecturam defendere cupiens in jus suum, inierunt per duos bellatores singulare certamen. Bellatoribus autem irruentibus simul ad pugnandum, a parte dictorum Galteri Megremeius (2) et Galteri Pigot, Guillelmo dicto Malo-clerico, a parte autem dicti Willelmi Johanne dicto Saol, per finale duellum declaratum fuit et recognitum præfecturam antedictam ad sæpedictum Guillelmum et liberos suos ex dicta filia dicti Gaufridi genitis (sic) jure hæreditario integre pertinere, bellatore dictorum Galteri et Galteri devicto et se pro devicto confesso. Duellum autem illud factum fuit in pratis quæ sunt inter ecclesiam Sancti Martini de Vetere-Vernolio et manerium dicti abbatis, in terra et feodo ejusdem abbatis, ubi edictum judiciarium, sicut mos est in duellis, de cogendo assistentes sedere pacifice circa campum vel circulum pugnantium, exclamatum fuit, et nuntiatum alta voce cujusdam servientis dicti abbatis, nomine ejusdem abbatis, tacito prius et posterius omni nomine cujuslibet judicis sæcularis, præsentibus multis. Et memorandum est quod statim post finem duelli, pars bellatoris devicti persolvit dicto abbati lx solidos et unum Turonensem (sic) pro devictione sui bellatoris. Iterum pars bellatoris devicti, per judicium curiæ dicti abbatis, solvit bellatori vincenti xvi solidos Turonenses pro qualibet plaga in qua fuit fracta cutis ad sanguinem. Quod in perpetuum pateat universis (3).

Eodem anno, apud Cremonam facta est maxima tempestas ceciditque lapis grandinis, in quo erat crux et imago Domini Salvatoris expressa; desuper quoque litteris aureis scriptum: Jesus Nazarenus rex Judæorum. Cecidit autem in ecclesia Sancti Gabrielis ex aqua (*sic; l.* qua) illuminatus est quidam cœcus monachus.

ANN. 1242.

Anno MCCXLII, sacrosancta spinea corona Domini nostri Jesus Christi Parisius delata est et translata a domino Ludovico rege Francorum et in capella regia Sancti Nicholai decenter collocata, in crastino Sancti Laurentii martyris. Quomodo autem, Domino disponente, illuc pervenit, libet breviter declarare. Defuncto igitur Petro, prius Nivernensi comite, postea Constantinopolitano imperatore, et imperatrice Yolanda uxore sua, ad quam de morte Henrici imperatoris fratris sui devenerat idem imperium, remansit ex iis puer, Balduinus nomine, qui puer Mariam filiam Johannis de Brienna, qui, propter probitatem et merita, regnum Hierusalem adeptus fuerat, desponsavit. Idem autem Johannes, de communi consensu fidelium imperii, generum suum Balduynum direxit ad partes Galliarum, ut a rege Ludovico, de cujus sanguine, ex utraque parte patris et matris, ortum habuerat, et domina Blanka, cujus neptem duxerat, cæterisque nobilibus Franciæ subsidium et auxilium peteret adversus hostes suos et Græcorum gentem de finibus suis expellendos. Quumque in partibus Franciæ moram faceret, hæreditatis propriæ negotiis detentus, et in petendo subsidio sollicitus et intentus perpendens devotionem regis et matris ipsius, de corona Domini eisdem fecit mentionem; dicit itaque se novisse in urbe Constantinopolitana proceres ad hanc calamitatis inediam devenisse, quod prædictam coronam Dominicam oporteat eos alienis vendere, vel ad minus titulo pignoris obligare; affectuoseque eidem supplicat ut illam ab ipso recipere dignetur, et gratis. Rex ergo hoc audiens grates immensas Balduyno gratanter annuit se illam receptam ab ipso (1). Mittuntur citius a rege Constantinopolim pro complendo negotio Jacobus et Andreas fratres ordinis prædicatorum. Tanta enim necessitas barones imperii coegerat ad [quod] pretiosam coronam pro magna pecuniæ summa compulsi sunt Venetis obligare tali conditione, quod nisi redimeretur per hæredes imperii vel barones intra terminum præfixum ipsa caderet in commissum, et converteretur in titulum venditionis pro pecunia jam soluta. Apposuerunt etiam quod illa Venetiam deferretur, quod et factum est. Convenerunt ergo nuntii regales cum Venetis, illam sanctam coronam portarunt Venetiam (2) præsentibus magnis civibus Venetiæ, ingrediuntur Venetiam et beatam coronam in vase signato in capella Sancti Marci cum diligentia deponunt. Frater Jacobus, relicto ibi fratre Andrea, cum nuntiis imperii cito accedens ad regem Ludovicum rem gestam et statum negotii regi fideliter et reginæ exprimunt. Præparant itaque nuntios cum fratre Jacobo et nuntiis imperii mittentes Venetiam. Venientes igitur

(1) *Gallia Christiana*, t. XI, p. 196. Guillelmus de Resenchon, quod nomen corruptum arbitror.

(2) Sic iterum et iterum transcripsit Editor; nonne legendum *Megremeins*? A. CH.

(3) Quanti facerent jus duelli abbates Gemeticenses constat e sequenti charta, quam deprompsimus de Chartulario vetustissimo Gemeticensi, asservato in Archivis Sequanæ-Inferioris, n°. 20 bis, charta 143; hanc chartam exeunte sæculo exaratam testantur et scriptura et nomen Roberti abbatis (1177-1190). — « Notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus, quod dominus abbas Robertus de Jumieges, assensu Gilleberti Crispini et ejus consilio, quoddam suum duellum de Veteri-Vernolio ex propria voluntate sua ad Tillerias (hodie Tillières, non procul a Vernolio) adduxit; ipse abbas duellum in castello tenuit, ita quod Gillebertus Crispinus in duello abbatis nichil clamavit nec clamat. Super isto duello, nec consuetudo Gilleberti nec consuetudo abbatis lucrata nec perdita fuit. Hæc scripta Gillebertus Crispinus adsignavit et sigillo suo inscripsit. »

(1) Sic in descriptione quam transmisit sedulus Editor. Sed grammatica nimium in istis peccat, et scripserat sane Chronicorum auctor: « Rex ergo hoc audiens grates immensas Balduyno [agit, et] gratanter annuit se illam recepturum ab ipso. » A. CH.

(2) Hic punctum cum virgula interponerem; et verba: *præsentibus magnis civibus Venetiæ* sequentibus referrem: sed de his viderit lector. A. CH.

Venetiani (1), exhibitis litteris regalibus, de mutuo retingrando (2) sanctum pignus, dolentibus Venetis, sed pro conditione non valentibus obviare, agnitis litteris procerum, vasculum sanctæ coronæ suscipiunt, versus Franciam iter suum dirigentes. Audiens autem eos in Burgundiam devenisse, rex valde gavisus est in Domino una cum matre sua et fratribus aliis, sumptis secum Waltero Senonis archiepiscopo et Bernardo Aniciensi episcopo et aliis baronibus, occurrit in villa quæ dicitur Villa-nova-Archiepiscopi. Thesaurum quem desideraverat invenit consignatum in vase ligneo, quo aperto invenit locellum de auro in quo sancta corona latebat, quæ tunc visa est ab omnibus qui aderant. In crastino, Senonis (*vel* Senones) defertur in ecclesiam Sancti Stephani. Postea vero in æstivo cum gaudio rex insigne vasculum deferens versus Parisius dirigit viam suam; octava die extra murum juxta ecclesiam Sancti Antonii in campi planitie ostenditur. Post hæc intra muros civitatis infertur a rege et fratre suo discalciatis et præter tunicam depositis vestibus. Omnes etiam prælati cum clericis et viris religiosis necnon et militibus nudis pedibus antecedunt, et sic collocatur in capella regia, cum gaudio, Domini corona.

ANN. 1243.

Anno MCCXLIII, natus est Ludovicus filius regis Ludovici primogenitus. Anno sequenti, natus est secundus filius, nomine Philippus, qui successit ei in regno. Eodem anno, papa Innocentius (3) venit in Franciam apud Lugdunum circa festum Sancti Andreæ, Ludovico rege apud Pontizaram ægrotante. Sic anima ejus erepta est a corporis sensibus, ut a multis æstimaretur mortuus. Ut autem ad se rediit, crucem transmarinam instanter petiit et accepit.

Eodem anno, combusta est omnis domus Beatæ Mariæ de Prato, de igne, de Ermentruvilla (4).

ANN. 1245.

Anno Domini MCCXLV, consecratus est domnus Odo, prius abbas Sancti Dionysii a domino papa Innocentio apud Lugdunum in archiepiscopum Rotomagensem propter canonicorum discordiam. Eodem anno, fuit magna prædicatio de cruce assumenda adversus Sarracenos Terræ Sanctæ debellandos. Cruce signatus est rex Franciæ Ludovicus cum fratribus suis Carolo et Roberto, et, concessu Innocentii papæ, ab universo clero decimam partem accepit redditUum usque in quinquennium. Multi etiam nobiles, barones, comites et utriusque sexus copiosa multitudo, in subsidium Terræ Sanctæ processuri crucem superponunt, non solum autem in regno Franciæ, sed etiam in locis circumstantibus usquequaque.

ANN. 1246.

Anno MCCXLVI, canonizatus est Eadmundus Cantuariæ archiepiscopus a domino papa Innocentio, quum esset apud Lugdunum. Prædicatio maxima de cruce fere per totum orbem terrarum propter subsidium Terræ Sanctæ.

ANN. 1247.

Anno MCCXLVII, mense junio, accidit miraculum quoddam apud Yconium, in loco communi, ubi erat crux sculpta in quodam palatio. Quidam joculator ibidem stabat, et in facie omnium astantium cum urso ludebat. Ursus autem, levato pede, super crucem prope ipsum existentem minxit, statimque videntibus omnibus expiravit. Quumque Christiani astantes super id quod acciderat Dominum benedicerent et laudarent, quidam Sarracenus indignatus valde quod ibi super miraculo facto Dominum attollerent, ideoque accedens in impetu, tanquam in contemptum ipsius crucis et Christianorum, cum manu crucem percussit, statimque brachium ejus cum tota manu exaruit totaliter. Itaque Sarracenus quidam alius, ebrietati vacans, illamque Christianorum admirationem et laudem vilipendens, quasi furiosus a potatione surrexit et in contemptum Christianitatis super ipsam mingere volens, morte subitanea percussus est et interiit. Quumque multitudo Christianorum super his miraculis Dominum magnificaret, quidam, Dei gratia inflammatus, accessit ad bailum civitatis rogans ut illum locum immundum venderet, et in eo ad honorem Sanctæ Crucis ecclesiam construeret; pro quo etiam si ipsum locum concederet promisit quod xxii^{m} soldanorum (1) soldano daret. At vero Saladinus episcopus Turcarum, quum audiret quod sic illum locum appeterent Christiani, impedivit omnibus modis quibus potuit.

Eodem anno, mortuus est Landgravius Thuringiæ (2), qui a papa Innocentio fuerat electus in regem Alemanniæ.

Eodem anno, Sanctus Eadmundus confessor elevatus est, qui apud Pontisiacum (*vel* Pontiniacum) requiescit, ubi per eum fiunt multa miracula, et obiit Odo Rotomagensis archiepiscopus, sepultusque est Rotomagi juxta altare Sancti Laurentii (3). Tunc electus est magister Odo Sancti Dionysii, ejusdem ecclesiæ canonicus, a quibusdam de capitulo, sed electio ejus quassata ab aliis. Canonicis autem invicem de pastore certantibus, dominus Innocentius papa, qui tunc adhuc supererat Lugduni, providit eidem ecclesiæ Rotomagi de pastore, et dedit iis fratrem Odonem Rigault (4) de ordine Minorum. Hic constituit festum Sancti Francisci celebrari triplici modo.

Statutum est etiam fieri festum triplex de Sancto Eligio, in crastino Sancti Andreæ.

ANN. 1248.

Anno MCCXLVIII (5), die Paschæ, receptus fuit Odo dictus Rigault archiepiscopus Rotomagensis solemniter in ecclesia Rotomagensi. Hoc anno, cœpit ignis juxta portam Belvacensem, qui combussit ecclesias Sancti Laurentii et Sancti Gildardi, et totam abbatiam Sancti Audoeni. Eodem anno, profectus est rex Franciæ Ludovicus, circa Penthecostem, Hiero-

(1) Hic legendum, ut reor, *Venetiam*. A. CH.

(2) Legendum forte *reintegrando* vel *redintegrando*. *Retingrare* in Glossario Cangiano non invenitur; habet quidem nomen *retingra*; sed quod idem valet ac *retinga* et *rethingha*, scilicet: *quies*, *cessatio*, ab anglico *resting*. Cæterum in hoc loco virgulam post *retingrando* apponerem quæ post *regalibus* male, ut videtur, signata, tenebras facit. A. CH.

(3) Quartus ordine, qui regimen universæ ecclesiæ tenuit ab anno 1243 ad annum 1254. A. CH.

(4) Ermentruvilla seu Hermandrevilla (hodie St. Sever), suburbium Rotomagi, in Sequanæ sinistra ripa.

(1) Sic Editor, nescio an codex; utut est, lege *solidorum*. Nonnihil et mirandum quod Saladinus pro *imperatore episcopus* dicatur. A. CH.

(2) Henricus Raspo.

(3) De obsequiis Odonis archiepiscopi, anno 1247, adeas *Directorium monasterii Sancti Audoeni*, folio 205 recto, in Rotomagensi Bibliotheca inter codices sub n°. A. 355, 429 asservatum. L. D.

(4) Quis apud nos Odonem hunc non apprime novit, ex quo *Regestrum visitationum archiepiscopi Rothomagensis*, ejusdem Odonis scilicet, publici juris fecit (in 4°. Rouen, MDCCCXLVII) vir doctissimus Théodose Bonnin. A. CH.

(5) Cf. Labbæi *Chronic. Rotomag.*, p. 377.

solymam, et plures alii comites et barones, cum magna multitudine militum et aliorum de regno Franciæ.

Eodem anno, consecratus est Odo Rigault, de ordine Minorum, archiepiscopus Rotomagensis, qui constituit ut horæ de Beata Maria, in ecclesia Rotomagensi, quotidie decantarentur. Eodem anno, dominus Ludovicus, rex Franciæ, cum fratribus suis multisque aliis nobilibus de regno Franciæ iter arripuit ultra mare, et in primo adventu suo cepit Damietam; sed non diutius eam potuit obtinere; nam et ipse cum fratribus suis non multo post captus est a paganis et detentus cum multis aliis. Dominus etiam Robertus, frater ejus, Atrebatensis [comes], in eodem prælio fuit occisus. Eodem anno, in festo Sancti Laurentii fuit vehemens combustio in urbe Rotomagensi. Nam abbatia Sancti Audoeni cum ecclesia et omnibus fere ædificiis est combusta; ecclesiæ Sancti Laurentii, Sancti Gildardi, et a fonte Gaalor usque ad fontem Rodobeccæ, et a porta Belvacensi usque ad magnum pontem, omnia fere ædificia combusta sunt.

Hoc anno, obiit abbas Willelmus Sanctæ Trinitatis; in festo Sanctæ Katharinæ, qui etiam ipsa die magnam missam celebravit sepultusque est ante altare Beatæ Mariæ, cui successit Joannes de Sihiervilla ejusdem loci monachus et eleemosynarius, in cujus tempore domus Sanctæ Katharinæ multis bonis abundavit. Hic instituit ut festum Sancti Vincentii celebretur in cappis et habeat octavas; in cujus festo et in ejus obitu xl solidos et unum modium vini ad pitantiam fratrum comparavit. Ecclesiam vero ornamentis pretiosis et cappis et casulis decoravit, crucem fecit et calicem de auro pondere sex marcarum cum electris pretiosis atque gemmis. Vasculum etiam aureum et argenteum fecit in quo plures Sanctorum reliquiæ continentur. Hujus tempore facta fuit, ejusque expensis, grangia, camera juxta portam, et etiam refectorium in melius reparavit.

Ann. 1249.

Anno MCCXLIX, rex Ludovicus cepit Damietam et in eodem anno amisit eamdem.

Ann. 1250.

Anno MCCL, fuit festum Annuntiationis Sanctæ Mariæ die sancto Parasceves, unde quum statutum fuisset in Rotomagi synodo ut solemnium hujus solemnitatis feria tertia post octavas Paschæ festine solveretur, et populus ad ecclesiam auditurus missam conveniret, mulier quædam de urbe Rotomagi, ancilla Angoti le Mercier, de parochia Sancti Nicolai, mane surgens, ausu temerario, pecten ut linum vel canabum distriaret arripuit; quo arrepto opereque incœpto, statim pecten manui ejus sinistræ fortiter inhæsit, manusque graviter protumuit cum dolore; quæ etiam ad majorem ecclesiam ante altare Dei genitricis, videntibus cunctis usque ad solis occasum sic permansit (1). Tandem Mater Misericordiæ miseriis mulieris commota mirabiliter manum ejus a pectine quo erat constricta liberavit et dissolvit (1). Ob hoc statutum a domino Odone Rigault Rotomagi archiepiscopo ut quoties festum prædictum circa Pascha occurreret, festum ejus post octavas Paschæ feria tertia solemniter celebretur, ac si festum eveniret ipsa die; ob memoriam, ante altare ejusdem genitricis, pecten est appensum.

Ann. 1251.

Anno MCCLI, facta fuit miserrima commotio Pastorum et error pessimus fere per totum orbem terrarum, per castella et per civitates vagantium et dicentium se in Terram Sanctam proficisci. Erant etiam inter eos tanquam magistri, crucem aliis imponentes, signa et prodigia mendaciter se dicebant operari. In tantum invaluit error eorum, quod dominum archiepiscopum in synodo Pentecostes de ecclesia Rotomagi cum universis sacerdotibus ad synodum congregatis expulerint. Horum autem quidam pastores, justo Dei judicio, sunt occisi vel naufragio perierunt; alii vero ad propria sunt reversi. Hoc anno combustæ sunt domus de *vico Presbyterarum* Rotomagi in nocte diei Paschæ.

Anno MCCLI, commotio misera Pastorum dicentium se in Terram Sanctam proficisci facta est (2). Erant enim inter eos magistri, crucem aliis imponentes; signa et prodigia mendaciter dicebant se operari. Fingebant enim ipsi principes latronum, ut simplices deciperent, vidisse visionem Angelorum et Beatam Virginem Mariam iis apparuisse et jussisse ut arriperent crucem et pastorum ac simplicium, quos elegerat Dominus, congregarent exercitum ad subveniendum Terræ Sanctæ et regi Ludovico ibidem moram facienti. Eamdem etiam visionem in vexillo quod ante se ferebant depinxerant. Dum autem prædicti latrones per Flandriam et Picardiam transirent villas et campos, falsis exhortationibus seducebant pastores et populos simplices. Quum autem venissent in Franciam, jam ita creverant quod millenaria centenaria fecerant, tanquam exercitum. et, quum transirent per loca campestria, pastores dimittebant animalia absque parentum consilio. Transeuntes autem per villas et urbes, levabant enses et secures et alia instrumenta, ita quod timebantur a populo et potestate juridiciali. In tantum vero errorem venerant, quod faciebant sponsalia, cruce signabant et a peccatis absolvebant. Adhuc insuper deceperant populum, quod plures credebant quod cibi et cætera sibi apposita non minuebantur eorum comestione vel potatione, sed augebantur. Quia vero clerus huic errori contradicere voluit, magnum odium ab iisdem incurrit in tantum quod plures in campis inventos occiderunt. A regina vero Blancha, regni gubernatrice quæ credebat per eos auxilium filio regi Ludovico in Terra Sancta provenire permissi sunt sine contradictione per urbem Parisius transire; unde et audacia errorum accrevit iis quam plurimum, et in furtis et rapinis ad urbem Aurelianum quum pervenissent pugnam inierunt cum clericorum universitate et

(1) Dominicarum festorumve observandorum contemptores hujusce modi mulctis divinitus percussos, ecclesiastici mediarum ætatum scriptores non semel tradiderunt. Exempli causa recurre ad *Sacrosancta concilia*, à R. P. Labbe collecta, t. XI, c. 24-27, et ad Mathæi *Majorem Historiam*, sub anno 1207, quo de Eustachii Flaviensis prædicatione loquitur; quibuscum conferre expediet *Miracula Sancti Wandregesili*, auctore anonymo, monacho Fontanellensi, inter *Acta sanctorum*, mensis julii tomo quinto, edita, quorum miraculorum primum, secundum tertiumque miraculo, quod de Rotomagensi ancilla narratur, simillima sunt. L. D.

(1) Qui locus jam ab Editore olim e *Chronico Sanctæ Katharinæ* excerptus et laudatus fuerat in egregia *Rotomagi historia* (in 8°. Rouen, 1844), t. I, p. 141, not. 2. Differunt inter priorem transcriptionem et posteriorem quædam non adeo magni momenti; posterior tamen recipiatur tanquam fidelissime manuscriptum codicem referens. A. CH.

(2) Quod supra legitur ex de *commotione ex Sanctæ Katharinæ Chronico* deprompium fuerat; quæ nunc prolixiora afferuntur è *Chronico Sancti Laudi* defluunt. A. CH.

plures occiderunt, multique ex iis occisi sunt. Deinde iverunt ad urbem Bituricam, et tunc dux et princeps eorum quem vocabant magistrum Hungariæ intravit synagogam Judæorum, destruxitque libros eorum et bona diripuit. Sed quum recessisset inde ab urbe cum populo suo, Bituricenses armati et præparati secuti sunt eos viriliter, occideruntque prædictum magistrum cum pluribus sociis suis et magnam stragem fecerunt. In tantum autem ab initio invaluit error eorum, quod archiepiscopum Rotomagensem in synodo Pentecostes de Rotomagi ecclesia cum universis sacerdotibus ad synodum congregatis expulerunt. Post autem predictam occisionem dispersi sunt per diversa loca, quorum quidam occisi sunt aut suspensi propter malefacta sua, alii navigio perierunt, alii ad propria reversi sunt, et sic ad nihilum reducti.

ANN. 1252.

Anno MCCLII, Judæi de regno Franciæ, per præceptum domini regis, sunt expulsi.

ANN. 1253.

Anno MCCLIII, obiit Blancha regina Franciæ viii kalend. decembris, et sepulta est apud Malum-Dunum prope Pontisaram in domo quam ipsa fundaverat sanctimonialium. Hoc anno defecerunt vindemiæ per totam Franciam et in anno sequenti similiter fere omnes.

ANN. 1254.

Anno MCCLIV, rediit dominus Ludovicus rex de partibus transmarinis. Obiit Innocentius papa IIII, cui successit Alexander [IV].

ANN. 1255.

Anno MCCLV, in festo Sancti Wulfranni, die viii octobris venit rex apud Rotomagum, et receptus est a civibus ejusdem urbis cum honore, qui etiam fuit apud Sanctam Katarinam causa peregrinationis, et ut haberet colloquium cum *Recluso* (1). Eodem anno fuerunt immensa fulgura et tonitrua, et augustus pluviosus.

ANN. 1256.

Anno MCCLVI, dominica in ramis palmarum accidit quoddam infortunium in ecclesia Sanctæ Trinitatis de Monte. Nam duo clerici qui (2) in ecclesia jacebant, quorum unus diabolica instigatione seductus alterum in capite vulneravit ad mortem. Ecclesia vero reconciliata est in crastino a domino Rotomagensi archiepiscopo.

Hoc anno, domnus Adam *inclusus* (3), ætatis longævæ senio confectus, in vigilia Sancti Dionysii, inter verba orationis, ultimum spiritum exhalavit. Hic in pago Caletensi, villa quæ ab incolis Foumuchon (4) nuncupatur, extitit oriundus. Primo in ecclesia de Hardouvilla (5) fuit presbyter sæcularis, deinde in ecclesia Sanctæ Trinitatis de Monte monachicum habitum assumpsit, vitam ducens per omnia religiosam et honestam; unde, audita sanctitatis ejus fama, a domino Theobaldo Rotomagi archiepiscopo ejus est pœnitentiarius constitutus, et in eodem officio per annos xiiii perduravit quousque ad regimen ecclesiæ Sanctæ Katarinæ est assumptus, statimque eodem anno a Theobaldo Rotomagensi archiepiscopo abbas Sancti Audoeni est creatus, officioque curæ pastoralis in ecclesia Sancti Audoeni fere per annum administrato, inde reclusus est (1) apud Sanctam Katarinam, assensu et voluntate Willelmi abbatis et totius conventus parvo tugurio juxta Majorem Ecclesiam se reclusit, qui etiam a die postquam inclusus vitam cœpit duram satis ducere et austeram. Nam quinque quadragenas semper per annum faciebat; a feria quinta usque ad nonam sabbati sequentis nihil omnino comedebat vel bibebat, nisi magna infirmitate coactus. Reliquis vero diebus raro non nisi semel in die comedebat, a carne sive sanguine abstinendo. Hic indutus erat ad carnem lorica ferrea, et per brachia, per renos (*vel* renes), et per crura erat vinculis ferreis alligatus. Super loricam ferream vestitus erat tunica cilicina usque ad poplites, in qua erant affixi noduli de auricalco carnem suam usque ad sanguinem compingentes. Missam quotidie cum gemitibus, lacrymis et suspiriis decantabat, diu noctuque psalmis, vigiliis, orationibus, lacrymis et compunctionibus et meditationibus assiduis desudabat. Nullus vidit eum nisi aut legentem vel psallentem vel orantem. Quum autem necessitate coactus, contingeret eum quiescere, non nisi super mattam (2) vel super terram ante altare requiem capiebat, sedendo potius quam jacendo. Erat ipse statura mediocris, jejuniis et vigiliis attenuatus, dulcis alloquio, mitis et affabilis in verbo. Nullus ad eum tristis accessit, quin gaudens recesserit. Erat in consilio providus, in universa morum honestate præclarus. Felix qui eum meruit audire, qui ab eo meruit doceri, qui sibi meruit peccata sua fateri.

Sic sic inclusus mundanos respuit usus,
Sic semper vixit; sub cœlo lumina fixit.
Sic inclusus Adam; sic fortitudine quondam
Vitam finivit; sic cœlica regna petivit.

Dormivit autem in senectute bona, plenus dierum, quum jam per viginti quatuor fuisset annos in reclusorio, imo potius in carcere, viiiª die mensis octobris, vigilia scilicet Sancti Dionysii, quæ cessit ei ad requiem, nobis autem ad laborem, et appositus est ad patres suos, cujus vitam moresque diligenter studuit imitari, et sepultus est in Majori Ecclesia ante altare Sanctæ Crucis, ad laudem Dei omnipotentis.

RECLUSI EPITAPHIUM (3).

Hic requiescit Adam, totius vir bonitatis
In fovea quadam, dux ordinis et pietatis
Cultor, vas morum, pastor pius; hic monachorum
Sub cura, quorum tulit annum rite bonorum.
Postea cœnobium pernobile rexit in urbe
Anni per spatium, bona spargens semina turbæ.

(1) De *Recluso*, vide infra, ad ann. 1256.
(2) *Qui* delendum videtur.
(3) Melius *Reclusus*.
(4) Melius *Fumechon*, prope Calleville in Caletis.
(5) Juxta Pavilliacum.

(1) In sua *Rotomagi historia*, t. I, p. 152, not. 1, Editor hunc locum afferens sic descripsit: « Inde reversus est apud S. Katarinam. Assensu et voluntate Willelmi abbatis et totius conventus parvo, etc. ». Quin et *Epitaphium Reclusi* quod infra reperies, habet v. 2. « redit ad nos. » A. CH.

(2) In priori transcriptione *nattam* dederat dominus Chéruel; utrumque, si Cangio credas (v. MATTA et NATTA), dicitur; *matta* tamen frequentius et certius occurrit. A. CH.

(3) Quis sequentes versus Reclusi tumulo insculptos fuisse credat? — Non ab uno, sed a tribus, me saltem judice, poetis compositi videntur. Prima eademque major pars usque ad verbum *Amen* discurrit; altera duobus tantum versibus, tertia vero novem postremis constat. Nonne supradicta carmina ex quodam Rotulo delibata fuisse conjiciendum est? In nostro libello cui titulus: *Des monuments paléographiques concernant l'usage de prier pour les morts*, nonnullorum hujus modi carminum habes exempla. L. D.

Inde Dei servus, Christum sitiens, quasi cervus
Fontis aquas, Christo commendat oves, et in isto
Monte mori cupiens redit ad nos, qui reverenter
Suscipitur nostris a fratribus, atque libenter.
Tunc miles fortis, lacrymis profusus obortis,
Proponit votum, cellam petit, obtinet, intrat;
Se Domino totum commendans, sicque subintrat.
Est inclusus Adam, carnem domat ossaque quadam
Veste nimis dura constringens, est sibi cura
  Subdere spiritui singula membra sui.
Per varias pœnas, per vincula perque catenas
Carnem dilacerat; sed, si quis quomodo quærat,
Illud ei dicam, quia vidi ferre loricam.
Cilicii tunicam censebat carnis amicam,
Longa jejunia, pauca cibaria continuabat.
Dura cubilia, strataque viridia semper amabat (1)
Stragula, nec multum somnum capiendo jacebat;
Ut fuit inclusus, est nunquam carnibus usus;
Immo quasi crimen reputat gustare sagimen.
Raro die veneris vel sæpe nihil comedebat;
Quare si quæris, mortem Domini recolebat.
Quinque quadragesimas semper faciebat in anno,
Dans Domino decimas carnis sub paupere panno.
Vinum, sed modice, comedens quandoque bibebat;
Nunquam post epulas aliquem potum capiebat;
Nocte vel orabat, psallebat, vel vigilabat.
Sine [f. sive] genuflexo vel verbere membra domabat.
Fama levis crevit, patriam terrasque replevit;
Reges, regine, comites, Sanctæ Katherinæ
Inclusum quærunt; felices qui meruerunt
Huic responsa dare, aut saltem illum considerare.
Felix qui meruit illi peccata fateri;
Felix qui voluit ab eo de lege doceri,
Qui reus accessit sceleris, sine labe recessit,
Et qui crudelis, rediit pius atque fidelis,
Qui desolatus remeavit lætificatus.
Vir prudens, humilis, dulcis, castus quoque, vilis (verus?)
Consilio, vultu, sermoneque, corpore, cultu.
Destruit, instruit, approbat, arguit, appetit æque,
Impia, dulcia, mitia, turpia, vilia quæque (2).
Cur moror in minimis? Mens nostra resurgat ab imis,
Ardua facta nimis, præponens ultima primis,
Hoc unum refero testans in judice vero,
Cum Paulo tractus est, omnibus omnia factus
Ut se salvaret et cunctos lucrificaret.
De vita breviter prælusimus; expetit hora;
  Dicatur breviter finis, et absque mora.
Expletæ (3) vitæ feliciter hujus agone,
Ut fieret meritæ mercede coronæ (4),
Afficit hunc ignita febris; tum postea crebris
Torquetur pœnis, mortis torquetur habenis;
Carne solutus, Adam redolens dulcedine quadam
Cellam replevit; sic dulci fine quievit.
Ossa solum texit; animam sacra concio vexit.
O bone rex Domine, tecum regnet sine fine;
Sis sibi solamen, et dicat quilibet amen.
  Amen.
Exor >eris dum sic mor >eris quia suscipieris
In sup vir sanctus vitaque frueris (1).
Defleat ista suum domus amisisse parentem:
Gaudeat hinc superum superorum sede sedentem.
Hic obit ornatus Christi cum munere solo;
  Sydera syderibus reddit, et ossa solo.
Hic moriens gaudet, de Christi munere fidus.
Terram terra tenet, lux lucem, sydera sydus;
Desinat ecclesia super hujus morte dolere,
Quum sciat hunc supera superum (2) sede sedere.
Flere chorus parce, quia cœli vivit in arce (3).

Eodem anno, in festo Sancti Petri ad vincula, in Angliæ civitate Linconiensi, malefici Judæi, in contemptum Christi et fidei Christianæ, circa solis occasum, quemdam puerorum novem annorum furtive rapuerunt, quem, octo dierum circulo, singulis diebus, variis pœnis, plagis et inauditis tormentis afflixerunt. Nam primo, unguiis extractis, dentes excusserunt, labia et nasum, linguam, mentum, auriculas amputaverunt, igni assaverunt, et plagas ejus terra, pice, resina atrociter consperserunt, deinde cruci affixerunt, et ad ultimum lancea latus ejus aperuerunt, et sic emisit spiritum. Crucem vero, quum vellent rapere et in ignem projicere, ab oculis eorum evanuit, sicut postea confessi sunt, deinde in cloacam projecerunt, novissime in fontem qui Neuport dicitur extra villam submerserunt, ubi inventum est corpus ejus, et, in Majori Ecclesia Linconiensi, juxta majus altare, cum digno honore tumulatum. Hoc factum fuit, approbatum coram domino rege, et coram justiciariis ejus. Judæi vero totum factum, ut prædictum est, regi recognoverunt. Nec fuit aliquis Judæus in Anglia, quin in ipso facto fecerit vel consenserit. Undecim ex illis, per plateas urbis, caudis equorum sunt distracti; deinde suspensi. Alii vero se pretio redemerunt, vel de Anglia aufugerunt metu mortis.

Ann. 1257.

Anno MCCLVII, annonæ defecerunt.

Ann. 1258.

Anno MCCLVIII, segetes perierunt in multis locis (4). Ventus vehemens in octavis Sanctorum Innocentium, qui multa mala domibus et nemoribus et in mari fecit.

Eodem anno, die lunæ post festum Sancti Bartholomæi apostoli restituta fuit elemosyna Rotomagensis de quodam latrone qui captus fuerat in elemosyna magistri Johannis de Flervilla, videlicet in domo Rogerii Lamancher quem detinebat baillivus Rotomagensis (5), et jam judicatus erat ad suspendendum,

(1) Versus hicce una syllaba longior est, et quantitate nimis peccat: *Viridia* forte non scripsit; si scripsit, non *strataque*, sed *strata* scribendum. A. CH.

(2) Conjunge, ut ista intelligas; « Destruit impia, instruit dulcia, approbat mitia, etc. » Cujus structuræ plurima exempla apud mediæ ætatis poëtas occurrunt: unum, quod in manu est, exemplum et brevissimum afferam:

Voce, manu, facie, facundus, largus, honestus.

Quem versum habet inter primos cantus primi poema inscriptum, *Mathematicus*, in venerabilis Hildeberti opusculis impressum, edit. Beaugendre, col. 1295 et seqq. Hujus poematis, quod ineditum credebat, analysim dedit V. Cousin in Appendice ad Abaelardi Opera in 4°. Paris 1836, p. 636. A. CH.

(3) Legendum, ni fallor, *Expleto*. A. CH.

(4) Post vocem *meritæ* adde *dignus*; quod forsan debuissem tacitus textui interserere. A. CH.

(1) Extremas hujus distichi syllabas ita scribendas esse censemus: *suscipi* / *fru* >*eris*. L. D.

(2) Lege *superorum*. A. CH.

(3) Mirum videtur doctissimum Pomerayum, qui Sanctæ Katarinæ annales scripsit et de *Recluso* loquitur, fateri se nihil de origine istius nominis compertum habere.

(4) Grandine scilicet et inundatione, ut videre est apud Guillelmum de Nangiaco (ex recensione H. Gerard, t. I, p. 219), et in *Savigneiensi Chronico*, apud Baluzii *Miscellaneorum*, in 8°. excusorum, tomi secundi paginam 321. L. D.

(5) Anno 1258, Rotomagensis ballivus erat Guillelmus

et adduxit eum Guyardus Sorel in eodem loco, in quo captus fuerat, cum omnibus rebus suis, videntibus multis qui præsentes aderant, Vuillelmo de Saana thesaurario Rotomagensi, domino Richardo presbytero Sancti Martini super Renellam, Nicolao le Franchoys, Roberto de la Londe, Martino de Hantonne, Johanne Paache (1), de Chievre, Richardo de Sancto Laudo, et multis aliis ad honorem Dei et Ecclesiæ Rotomagensis, et prædicti magistri de Flervilla. Hoc anno, vina pessima (2) per totum orbem, maxime in regno Franciæ.

ANN. 1259.

Anno MCCLIX (3), obiit Willelmus abbas Fiscampni, cui successit Richardus ejusdem loci monachus. Fames in toto regno Franciæ, ita ut mina ordei duodecim solidis venderetur; vindemiæ etiam defecerunt.

ANN. 1260.

Anno MCCLX, vineæ perierunt (4) apud Vernonem, et in Francia, et in nocte Sancti Juliani, latrones infregerunt ecclesiam Sanctæ Trinitatis Rotomagi per vitream altaris Sanctæ Mariæ, et exinde abstulerunt tres textus altaris deargentatos; nam aliud auferre nequiverunt.

ANN. 1261.

Anno MCCLXI, obiit Alexander papa, cui successit Urbanus IIII, patriarcha Hierosolymitanus, natione Gallus, necdum cardinalis. Hic fuit ex urbe Trecensi ortus. Sedit annis III, mense uno, diebus IIII. Hic fecit exercitum Sarracenorum, quem Manfredus in patrimonium [Sancti Petri immiserat], per crucesignatos fugari.

Hoc anno, fuit creatus Urbanus papa quartus circa decollationem Sancti Joannis Baptistæ, et, mense octobris, homo quidam qui propter homicidium captus et tractus fuit prope Magdalenem in unam de cophis (5) magistri Stephani Senonensis, archidiaconi Vulcassini Franciæ tunc temporis, et ab illa copha captus et tractus a servientibus Majoris tandem ductus ad castrum et ibi judicatus in assissia ad mortem, quum deberet trahi ad mortem, Symon de Albana, procurator capituli, requisivit bailiivum vel vicecomitem, ut dictum hominem ei redderet, et in domum dictorum capituli et archidiaconi restitueret. Post multa consilia, vicecomes dictum hominem ad Majorem remisit jam judicatum, et Major remisit eum ad locum in quo captus fuerat, et domum dicti archidiaconi revestivit. Dictus autem archidiaconus eum, quandiu voluit, tenuit in carcere, et tandem dictus archidiaconus, de consilio bonorum, misit eum ultra mare, et bona ipsius hominis, quæ cum eodem homine ei fuerant restituta retinuit. Erat enim ille homo ensium reparator, unde remansit et archidiacono arca plena gladiis et ensibus.

ANN. 1262.

Anno MCCLXII, obiit abbas Joannes Sanctæ Katarinæ Rotomagi, in festo Sancti Paterni, apud Bysi. Cui successit Robertus de Planobosco, ejusdem loci monachus, in cujus tempore factum fuit claustrum et infirmitorium et domus supra portam. Hic instituit ut XII lectiones fierent de Sancta Maria semel in ebdomada. Similiter de Sancta Katherina, cum cappa in choro, et sequentibus. Item, ut festum Sancti Johannis Evangelistæ cum processione ageretur, et de translatione Sancti Nicolai XII lectiones et de translatione Sancti Eligii VIII lectiones et anniversarium fundatoris, sicut in cappis fiat solemniter, altare ornetur, et luminaria omnia, sicut in anniversalibus, accendantur.

ANN. 1263.

Anno MCCLXIII, Clemens papa IIII, natione Provincialis, de villa Sancti Egidii, sedit annis III, mensibus IX, diebus XXVI, et anno MCCLXV obiit apud Viterbium. Hoc anno, idibus Maii combusta fuit abbatia Becci, cum omnibus ædificiis de igne ejusdem villæ (1) et fuit tempestas maxima XII kalend. martis. Item dissentio magna inter Henricum regem Angliæ et barones illius regni super consuetudinibus terræ illius, et fuit guerra magna inter regem et comites, quæ multa mala fecit, unde multi prædones et pyratæ surrexerunt, ecclesias undique devastantes et patriam depopulantes.

ANN. 1264.

Anno MCCLXIIII, obiit Urbanus papa, cui successit Clemens papa IIII, qui fuerat miles et uxoratus, episcopus Podiensis, et archiepiscopus Narbonensis.

ANN. 1265.

Anno MCCLXV, prædicatio magna de cruce ad eundum in Siciliam propter Manfredum, filium Frederici, expugnandum. Eodem anno, Carolus, comes Andegaviæ, frater Ludovici, regis Francorum, vocatus est a domino papa et coronatus est rex Siciliæ; qui media quadragesima Meinfredum, filium Frederici imperatoris, expugnavit in bello, et occisus est (Manfredus). Conceditur et solvitur decima. Eodem anno, occisi sunt Simon de Monfort, comes Leycestriæ, et Henricus filius ejus apud Evescen (Evesham) ab Eduardo filio regis Anglorum.

ANN. 1266.

Anno MCCLXVI, abbas (Sanctæ Catharinæ) Robertus cepit de domino rege totum feodum de Cailly, (2), cum pertinentiis. Mortalitas magna omnium.

de Vicinis, de quo adeas Farin, *Histoire de Rouen*, in 4°., 1738, parte secunda, p. 120; Brussel, *Usage des fiefs*, t. I, p. 489, c. 2; *Olim*, t. I, p. 99 et 101, et *Regestrum visitationum archiepiscopi Rothomagensis*, ab amico nostro Th. Bonnin editum, p. 258 L. D.

(1) Sic in ms. codice. Legendum censeo *Pigache*, nomen eo tempore Rotomagi sæpius usurpatum.

(2) De vinis anno 1258 pessimis locuti sunt Guillelmus de Nangiaco et Savigneiensis monachus, locis supra citatis, quorum testimonio consonant Notæ ad calcem *Novi Constantiensis Ordinarii*, penes amicum nostrum D. Delamare adjectæ. L. D.

(3) In laudatis *Constantiensis Ordinarii* notulis memorantur et mortalitas quæ Parisiis anno 1259 mense aprili grassata fuit, et æstivæ tempestates. L. D.

(4) Forte gelu ustæ, ut ex *Chronico Savigneiensi*, p. 322, conjicimus. L. D.

(5) Melius de *Sopis*, vulgo *échoppes*.

(1) De hoc incendio melius et fusius, ut decebat, *Chronicon Beccense*, edit. d'Achery ad calcem *Operum* Lanfranci, p. 12; verba ipsa scriptoris affero. « Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, idibus maii, feria tertia ante Pentecosten, ecclesia Becci combusta fuit cum omnibus officinis et domibus, post completorium, ab igni villæ, qui incepit in domo presbyteri et miserabiliter consumpsit villam et ecclesiam villæ et postea abbatiam, abbate Roberto tunc apud Lexovias ad capitulum abbatum generale existente. » A. CH.

(2) Jam anno 1258 quasdam terræ de Calli portiones monachis Sancti Audoeni Rotomagensis Ludovicus rex ad perpetuam firmam concesserat. Cf. A. Du Monstier, in *Neustria pia*, p. 65; Pommeraye, *Histoire de Saint-Ouen*, p. 440 et 452, et nostrum *Trésor des Chartes*, p. 113, sub primæ partis numero 604. L. D.

Ann. 1267.

Anno MCCLXVII, fuit cardinalis Simon Rotomagi et apud Sanctam Katharinam, ubi accepit procurationem seu pastum in festo Sancti Michaelis minoris. Hoc anno, apud Viceliacum (1), elevatum est corpus Beatæ Mariæ Magdalenæ a domino Simone cardinali et legato cum cæteris episcopis et rege Francorum in octavis Paschæ. Eodem anno, iii kalend. decembris obiit Clemens papa IIII, et fuit sedes vacans anno sequenti.

Hoc anno, Soldanus Babyloniæ, Armenia vastata, Antiochiam, unam de famosioribus civitatibus orbis cepit, et tam viris quam mulieribus occisis et captis ipsam in solitudinem redegit.

Hoc anno, in crastino Assumptionis, per decanum et capitulum fuit statutum quod singuli canonici qui personaliter interierunt capitulo generali, singulis diebus quibus durabit dictum capitulum, percipient quinque solidos de bursa capituli, ita quod summa dictæ perceptionis non excedat xx solidos, nec minor sit xx (*sic*) solidis.

Ann. 1268.

Anno MCCLXVIII, facta fuerunt tria signa, seu tres campanæ hujus ecclesiæ, scilicet Vincentius, Benedictus et Johannes.

Ann. 1269.

Anno MCCLXIX, multi nautæ perierunt in festo Sancti Leonardi.

Ann. 1270.

Anno MCCLXX, Ludovicus rex Francie, rex Navarræ et Eduuardus, filius Henrici regis Anglorum, et Odo Rotomagensis archiepiscopus et multi alii nobiles utriusque regni, cum militia infinita, Hierosolymitanum iter arripuerunt, et in eodem itinere Ludovicus, rex Franciæ, et Johannes filius ejus, mortui sunt in regno de Thunes, et multi alii nobiles et ignobiles de dissenteria. Ossa domini Ludovici et filii ejus relata sunt et sepulta cum digno honore apud Sanctum Dyonisium. Eodem anno, apud Viterbium, præsentibus cardinalibus et Philippo filio Ludovici regis Franciæ, occisus est Henricus filius Richardi Regis Alemanniæ, in ecclesia, a filiis Symonis comitis de Monfort. Hoc etiam anno, dedicatum est altare novi infirmiarii in crastino Sanctæ Katharinæ, in honore Beatæ Mariæ Magdalenæ, a domino Johanne Lundensi in Dacia (2) archiepiscopo.

Ann. 1271.

Anno MCCLXXI, obiit dominus Robertus abbas xi hujus ecclesiæ, vigilia Sancti Georgii, cui successit Richardus de Ganseville, ejusdem loci monachus. Hic constituit ut hymnus Sanctæ Katarinæ cantaretur.

Hoc anno, iiii kalend. septembris, coronatus est Philippus, filius regis Ludovici, creatus quoque et consecratus Gregorius papa X. Quinto idus aprilis, qui tunc fuit feria vi^ta^. ante passionem Domini, inventæ sunt pretiosissimæ reliquiæ in ista ecclesia in duobus scriniis, quæ erant supra altare matutinale, dextra lævaque, inter quæ inventa est in eo, quod erat ad sinistram partem altaris, medietas totius corporis Beatæ Austrebertæ virginis cum anteriori parte capitis, in quo sunt xiii dentes integri et candidi, ipsi capiti, quasi viventi, adhærentes, in quodam sacello carbasino cum pannis oloserićis, decenterque compositi. Separatum autem caput et in cappa argentea collocatum. In alio scrinio, prout in scedulis continebatur, dens Sancti Johannis Baptistæ, dens Sancti Mathæi, dens Sancti Victoris, de cruce Domini, de palmis quas attulit manu propria in Hierusalem, de loco Nativitatis ejus, de petra Calvariæ, de Sanctis Laurentio, Sebastiano, Gregorio, pars brachii Sancti Leodegarii martyris, brachium Sancti Wulgani, crus Sancti Walarici, de Sancto Nicolao, de humeris Sanctæ Margaretæ, de Sancta Agatha, Sanctorum Addon et Sennes, Prothæi et Hyacinthi, Sirenæi et Habundi, Sancti Mauritii, Saturnini, Quintini, Nicomedis, Arnulphi, Cipriani, Salvii et Lucianii, Gerronis, Hermetis felicissimi, Gorgonii, Valentini, et Concordii, Eustachii, Theodorici de Sancto Wulfrano, Aniano, Marco confessoribus, Martino papa, Maglorio, Germano, Medardo, Faustino, Bayno, Remigio, Martino abbate et pluribus aliis.

Gregorius, natione Lombardus, de urbe Placentia, sedit annis XIII.

Ann. 1272.

Anno MCCLXXII, resignatio Nicolai abbatis Sancti Audoeni in crastino Paschæ, cui successit Nicolaus de Godarvilla prior de Bellomonte (1), in festo Sanctorum Johannis et Pauli.

Resignatio Richardi abbatis Gemeticensis (2), cui successit Robertus, qui ante eum in eadem ecclesia fuerat abbas, et postea frater minor. Obiit Willelmus prior Blidæ, cui successit Willelmus Bordon. Obiit Johannes abbas.

Ann. 1273.

Anno MCCLXXIII, obiit Nicolaus abbas Sancti Audoeni in crastino Sancti Michaelis, cui successit Johannes de Fontibus, ejusdem loci monachus, cui successit Petrus de Cambis, ejus loci monachus. Obiit Henricus rex Anglorum; xi annorum erat, quum regnare cœpit, et regnavit lv. Cui successit Eduuardus filius ejus, vir bellicosus et in armis strenuus.

Ann. 1274.

Anno MCCLXXIV, Gregorius papa X celebravit concilium apud Lugdunum Galliæ, cui interfuit Richardus Sanctæ Katharinæ abbas, in quo bigami amiserunt privilegium clericale (3). Numerus prælatorum qui fuerunt in dicto consilio Lugdunensi, quingenti episcopi, lxx (4) abbates et alii prælati circa

(1) Quem lateat Viceliacum (hodie *Vezelai*, *dans le département de l'Yonne*) inter celeberrimas emicuisse abbatias? Quondam Beatæ Mariæ Magdelenæ reliquiis insignita superbiebat, de quibus multi doctissimique disseruerunt scriptores, inter quos clarus vir D. De Launoy, e Constantiensi diocesi oriundus. L. D.

(2) Melius in *Dania*.

(1) Hunc prioratum, quem, apud Bellum Montem in Algia institutum, clarissimi barones nomine Bertranni sub monachorum Sancti Audoeni patrocinio commiserant, ne confundas cum prioratu Bellimontis Rogeri, Beccensi abbatiæ subjecto. L. D.

(2) *Gallia Christiana*, t. XI, p. 197, refert hunc abbatem ab Odone archiepiscopo increpitum fuisse, sed nusquam suam dignitatem deposuisse narrat.

(3) « Altercationis antiquæ dubium præsentis declarationis oraculo decidentes, bigamos omni privilegio clericali declaramus esse nudatos, et coercitioni fori sæcularis addictos, consuetudine contraria non obstante. Ipsis quoque sub anathemate prohibemus deferre tonsuram vel habitum clericalem. *Constitutiones a Gregorio papa decimo in concilio Lugdunensi generali sancitæ*, § XVI. Ap. Labbe *Sacro Sancta concilia*, t. XI, part. I, col. 984, B. » A. CH.

(4) Sic scripsit Editor. Ubique non *septuaginta*, sed

mille. In eodem consilio, interdicti sunt diversi ordines qui tunc erant: *ordo scilicet pœnitentiæ Jesu-Christi*, *ordo matris Jesu Christi*, *ordo martyrum*, *ordo apostolorum*, *ordo Evangelistarum*, *ordo Sanctæ Crucis*, *ordo Crucifixorum*, et alii nonnulli ordines, qui de novo adesse cœperant, nec habebant institutiones a Sanctis.

ANN. 1275.

Anno MCCLXXV, defecit annona in regno Franciæ, similiter et vindemiæ, et in festo coronatorum circa horam nonam ventus vehemens subito contingens mala multa fecit domibus et arboribus, similiter in festo Sancti Mauri.

ANN. 1276.

Anno MCCLXXVI, obiit Odo Rotomagensis archiepiscopus kalend. junii apud Gaillon, sepultusque est juxta altare Sanctæ Mariæ. Præfato Odoni cognomento Rigaut successit Guillelmus de Flavacuria, Vulcassinensis natione. Prædictus vero dominus Willelmus archiepiscopus ordinavit presbyteros in ecclesia Rotomagensi ad quotidie celebrandam missam de Sancto Spiritu, atque triplici modo statuit festum celebrari de Sancto Ansberto.

Eodem anno, in julio et in augusto, immensæ pluviæ, unde annonæ vix colligi potuerunt. Obiit dominus Odo, Rotomagensis archiepiscopus, kalend. junii apud Gaillon, sepultusque est in ecclesia Rotomagensi juxta altare Sanctæ Mariæ. Hiems gravissima et incepit gelare xix kalend. januarii et duravit usque v idus februarii continuo, unde satio hyemalis non potuit fieri. Eodem anno, purificatio Beatæ Mariæ et septuagesima fuerunt insimul. Eodem anno, fuit domina Maria, regina Franciæ, apud Sanctam Katarinam in festo Sancti Leodegarii, et jacuit in eadem domo duabus noctibus. Eclypsis lunæ in decembri. Visus globus igneus in cœlo ad modum draconis scintillas post se igneas emittens. Visus est etiam mense januarii, post solis occasum, [ignis] ad modum trabis directus a Septentrione in Austrum. Occupaverunt Sarraceni totam Hispaniam fere. Obiit Gregorius papa X, v idus januarii, cui successit dominus Petrus Hostiensis episcopus, de ordine prædicatorum, et vocatus est Innocentius V. Hic fuit transmontanus natus apud Tarantasiam civitatem, provinciæ doctor et regens in theologia, prius Lugdunensis archiepiscopus et postea Hostiensis. Sedit tantum in episcopatum per v menses, diebus ii et cessavit papatus xviii; qui morte præventus nihil nobile gessit. Cui successit Adrianus V, natione Januensis, sedit mense i, diebus ix. Papa statim factus constitutionem, quam papa Gregorius X in consilio Lugdunensi fecerat de restitutione cardinalium propter electionem, suspendit. Eodem anno, dominus Simon, presbyter cardinalis (1) titulo Sanctæ Ceciliæ, legatus in regno Franciæ, tenuit concilium apud Bituricas ex omnibus prælatis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et prioribus totius regni Franciæ in crastino Nativitatis Beatæ Mariæ.

ANN. 1277.

Anno MCCLXXVII, Johannes XXI, natione Hispanus, sedit mensibus viii; et cessavit papatus post mortem ipsius mense vi, diebus vii.

ANN. 1278.

Anno MCCLXXVIII, Nicolaus III, natione Romanus, de domo Ursinorum, qui electus fuit in die vii kalend. decembris. Obiit autem anno MCCLXXX xi kalend. decembris; et vacavit sedes v mens., dieb. xxii.

Hoc anno, obiit Ricardus abbas Sanctæ Katarinæ, cui successit Johannes ejusdem loci monachus, et inceptum fuit opus capellæ Sanctæ Katarinæ in vigilia decollationis Johannis Baptistæ. Consecratus est Willelmus de Flavacuria, archiepiscopus Rotomagensis, in festo Sancti Michaelis æstivalis. Occisio Nicolai le Chat, militis, in bosco Sanctæ Katarinæ. Bellum apud Gizortium inter dominum Petrum de Pratellis (1) et dominum Johannem Mouton, dominum de Blainville (2), milites; in quo duello, Petrus obtinuit victoriam, licet aliquantulum fuerit læsus, scilicet octavo idus Julii. Obiit Nicolaus papa; successit illi Martinus III, natione Gallus, patria Turonensis, in catedra Sancti Petri electus, qui vocabatur Simon presbyter, cardinalis titulo Sanctæ Ceciliæ, qui fuerat Rotomagi officialis et archidiaconus et thesaurarius.

Hoc anno, die lunæ, ante festum Beati Thomæ apostoli, venit frater Henricus custos Beatæ Mariæ Magdalenes Rotomagensis (3) tunc temporis, in capitulo nostro, videlicet in vestiario, et reddidit spontanea voluntate, non coactus, fontis ecclesiæ Rotomagensis claves, cujus calderia seu cuva existit in fossatis domini regis, et renuntiavit dictus custos omni possessioni, et omni proprietati dicti fontis ore proprio confitens et dicens dominium cum possessione ad præfatum capitulum pertinere. Præsentibus his reverendo patre Guillelmo de Flavacuria, Dei gratia, Rotomagensi archiepiscopo, pluribusque dominis et magistris, videlicet Guillelmo de Saana thesaurario, Ingerranno de Estrepeniaco, archidiacono de Augo, et pluribus aliis ibi denominatis. His itaque peractis, statim eadem die, hora majoris missæ, dominus Nicholaus Fauvel et magister Johannes de Cessono canonici iverunt ad fontem prædictum, et aperuerunt ostia dicti fontis, et visitaverunt caldariam ejusdem fontis, præsentibus cum prælatis, canonicis, magistro Johanne Davi, magistro operis (4) tunc temporis, et

sexaginta numerantur abbates qui illi concilio interfuerunt; videsis Petrum Galesinium, in *Sancti Bonaventuræ vita*, cap. XIV, §. 3; Lucam Waddingum, *Scriptores ordinis minorum*, in fol. Romæ, 1650, p. 63, col. 1, etc., etc. A. CH.

(1) Duo erant in cardinalatu gradus; presbyter cardinalis primum fiebat qui ad hanc dignitatem a summo pontifice promovebatur; deinde, si locus esset, cardinalis episcopus. De Sancto Bonaventura traditur (vide Galesinium, *Sancti Bonaventuræ vita*, cap. XIV, §. 6) eum « quod fortasse nemini unquam contigit, cardinalem episcopum ante pronuntiatum fuisse, quam presbyter cardinalis extiterit. » A. CH.

(1) Pratellæ, vulgo *Préaux*, juxta Rotomagum.—Idem forte est ac Petrus dominus de Pratellis, cujus nomen in chartula de fundatione ecclesiæ de Richemont, anno 1303 occurrit, ap. *Chartularium Philippi Alenconiensis*, folio LVII verso. L. D.

(2) Blainville-sur-Ry vel Blainville-Crevon quatuor fere leucis a Rotomago.—Recurre ad hujus familiæ stemmata, ap. P. Anselme, *Histoire généalogique*, t. VI, p. 757. L. D.

(3) Eo tempore hospitium Magdalenes Rotomagensis prope Majorem Ecclesiam situm erat, ubi nunc adhuc viam videre est quæ dicitur *Rue de la Madeleine*.

(4) « Une ancienne chronique de l'église de Rouen nous montre Jean Davi visitant, vers la fin du mois de décembre de l'année 1278, le réservoir de la fontaine de l'église en sa qualité de maître de l'œuvre, *Johanne Davi magistro operis tunc temporis*. Jean Davi est qualifié dans cette chronique de citoyen de Rouen. Cependant l'archevêque, Guillaume de Flavacourt, mu par le désir d'embellir la maison de Dieu... voulut donner

Gauffrido de Vallericherii (1) civibus Rotomagensibus, et pluribus aliis de parrochiis Sanctorum Gildardi et Laurentii Rotomagensium.

Eodem anno, die festo Sancti Romani ad pardonem fuit ordinatum quod Philippus de Amblevilla præsentatus ad aliquam præbendam per Guillelmum archiepiscopum non reciperetur, nisi prius præstito juramento de legitimo matrimonio quod fuisset procreatus, quia istud facere tenebantur de consuetudine ecclesiæ. Ordinatum quoque fuit eodem anno quod a festo Sanctæ Trinitatis usque ad festum Assumptionis Beatæ Mariæ inclusive dicantur matutinæ post vesperas omnium dominicarum et festivitatum.

Hoc anno, filia principis Antiochiæ, Maria dicta de Hierusalem quæ in Francia exulaverat, jus regni Hierosolymitani, quod sibi appendebat, Karolo regi Sicilie quietavit, tali pacto, quod, quandiu viveret, assignaret sibi quolibet anno quatuor (2) libras Turonenses de redditibus suis in comitatu Andegavensi.

Ann. 1282.

Anno MCCLXXXII, in octavis Ascensionis Domini, videlicet pridie idus maii, perfusa fuit quædam campana quæ vocata fuit campana archiepiscopi Rigaudi (3). Hoc anno creatus est in episcopum Constantiensem frater Eustachius Cordiger de Rotomago a domino papa Martino (4).

Ann. 1283.

Anno MCCLXXXIII, obiit Philippus Ebroicensis episcopus, cui successit Petrus de Avrio (1).

Ann. 1284.

Anno MCCLXXXIV, die sancto Paschæ v idus audita sunt tonitrua multa, et cecidit fulgur in ecclesia Rotomagensi, et in multis aliis ecclesiis, in introitu missæ, præsente archiepiscopo.

Obiit Richardus, Fiscannensis abbas, cui successit Willelmus ejusdem loci baillivus. Obiit Carolus rex Siciliæ. Prædicatio magna de cruce sumenda contra Petrum de Arragonia. Rex Franciæ Philippus iter arripuit cum magna multitudine contra prædictum Petrum. Vigilia Sanctæ Katarinæ, ventus fuit vehemens, qui multa mala fecit et multas arbores evulsit (2). Obiit dominus Martinus papa, natione Francus, feria v post Pascha, cui successit Honorius IIII. Eodem anno, fuit dies Paschæ in festo Annuntiationis dominicæ.

Ann. 1285.

Anno MCCLXXXV, obiit Guido Lexoviensis episcopus in die Sancti Martini, cui successit Willelmus de Asinariis, tunc cantor ejusdem ecclesiæ, qui consecratus fuit Rotomagi ante festum Beatæ Mariæ Magdalenæ a domino Willelmo Rotomagensi archiepiscopo, una cum aliis episcopis. Eodem anno, obiit Philippus, rex Franciæ, filius domini Ludovici regis sanctissimi, in regno Arragoniæ cum multis aliis nobilibus de regno Franciæ, et sepultus est apud Sanctum Dionysium juxta patrem suum; cui successit ejusdem filius Philippus, qui coronatus est eodem anno, in festo Epiphaniæ, præsente domino Johanne Tholet, sedis apostolicæ cardinali legato.

Hoc anno, obiit Carolus rex Siciliæ. Guillelmus archiepiscopus, dictus de Flavacuria, [qui] diu pacifice sedem Rotomagensem tenuerat, ut pie credendum est, migravit ad Dominum (3). Nam, antequam obiret, tempore famis, populum, ne inopia deficeret, sustentavit, eleemosynasque largissimas misericorditer erogavit. Nam ad ipsius eleemosynam plebes innumeræ catervatim affluebant quotidie, et ipse plus pastor misericorditer affluens visceribus (4), sicut fertur, post erogationem fructuum, jussit ut non parceretur equis et utensilibus, sed omnia ad pauperum vitam sustinendam, ne fame perirent, pietatis intuitu erogarentur. Postquam vero idem pastor in cœlo sic thesaurizavit, viam universæ carnis ingressus (5), in ecclesia Rotomagensi, in capella

à sa cathédrale, du côté du nord, un portail digne de la façade occidentale... Le maître de l'œuvre, Jean Davi, fut chargé de ce grand travail. Il est impossible, malgré les remaniements qu'il a subis, de ne pas être frappé de la hardiesse, de l'élégance, de la richesse de ce portail..... Ce n'est pas un médiocre honneur pour Jean Davi, d'avoir conçu et exécuté une pareille œuvre, que nous sommes heureux d'avoir pu lui restituer. Jean Davi n'eût-il fait que le seul bas-relief des Bons et des Méchants du tympan de la porte, je le tiendrais pour un des plus grands artistes que le moyen-âge ait produits. A. Deville, *Revue des architectes de la cathédrale de Rouen*, in 8°. 1848, p. 17 et sqq. » A. CH.

(1) De Vallis Richeri familia, inter Rotomagenses quondam celeberrima, adeas notam quam in nostro *Trésor des Chartes*, partis primæ, pag. 127, contexuimus. — Addas huic familiæ nomen fuisse impositum, non ex Vallis Richeri abbatia, sed ex quodam feodo, de quo legimus in *Chartulario Sanctæ Trinitatis Rotomagi*, pag. 425 : « Dedit (Gulbertus filius Erchembaldi vicecomitis) Sancte Trinitati Vallem Richerii et prata de Reduil »; et iterum, pag. 447, in charta Ansfredi Osberni de Ou vicecomitis filii : « in territorio Rotomagensi in Valle Richerii ». Quod feodum, auctore Thoma Stapleton, versus Sanctum Jacobum super Darnetal sedebat, et territorium a recentioribus *Le Bois du Roule* nuncupatum forte comprehendebat; *Magni Rotuli Scaccarii Normanniæ*, t. I, p. CCCXXXIV, col. 1. L. D.

(2) Nonne post *quatuor* verbum aliquod addiderat scriptor, *centum* scilicet, sive aliud, quod hic desideratur? A. CH.

(3) Ista campana apud Rotomagenses celeberrima fuit, quumque ebriosi essent qui campanæ pulsandæ inserviebant, proverbium Rotomagi vulgatum est : *boire à Tire-la-Rigaut*.—De illa quam Rotomagensi proverbio assignat D. Chéruel origine nihil habeo quod dicam (cf. tamen Edélestand Du Méril, *Theatri liturgici quæ latina superstant monumenta*, p. 396, not. 2). Notabo tantum hic dicterium istud non apud Rotomagenses solum, sed in omni Gallia fuisse et esse adhuc usitatissimum. A. CH.

(4) Extrema hæc e Chronico Ecclesiæ Rotomagensis excerpta sunt; post quæ legitur : « Et hic finit Chronicon Ecclesiæ Rotomagensis ». A. CH.

(1) Nicolaus de Altolio. *Gallia Christiana*, t. XI, p. 591.

(2) Confer quæ de eodem vento traduntur in metricis iisdemque gallice scriptis Sancti Maglorii chronicis, ad versum 142, p. 12 ex clariss. viri Buchon edit. L. D.

(3) Obiit anno 1306 ; *Gallia Christiana*, t. XI, p. 75.

(4) Sic in ms. codice, quod forsan corrigendum : *misericordiæ affluens visceribus*.

(5) Jam in Biblia bis reperitur (*Josue*, cap. XXIII, v. 14, et *Reges*, lib. III, cap. II, v. 2) hæc locutio : « Ingredior viam universæ terræ ». Erravit enim *Concordantium Bibliorum utriusque testamenti* auctor, quum in loco libri *Josue* inscripti supra laudato *carnis* pro *terræ* (v°. Caro) dederit. Quando vero nomen *carnis* nomini *terræ*, et a quo substitutum fuerit, penitus ignoro. Illa cæterum plena sensu et nescio quo mœrore perfusa translatio sæpissime apud medii ævi scriptores occurrit : « Viam universæ carnis scio me ad præsens ingressurum » ait Hugo Lexoviensis episcopus, in Orderici Vitalis *Historia ecclesiastica*, lib. V, ann. 1077, edit. A. Le Prevost, t. II, p. 308, etc., etc. A. CH.

Beatæ Mariæ, quæ a suo tempore de novo ædificari cœpit et decenti opere consummata est, sepulturam habuit, ut in ipsius tumba decentissime composita intuentibus patet. Huic successit Bernardus, nepos papæ Clementis quinti, virili ætate florens, dono prædicti papæ factus est archiepiscopus Rotomagi, et, subsequenti tempore, permutavit (1) cum Ægidio Narbonensi archiepiscopo. Fuit autem archiepiscopus Rotomagensis Ægidius litterali et sæculari prudentia valde peritus, multisque gazis opulentissimus (2). Hic statuit in ecclesia Rotomagensi, sabbatis vacuis, ab octava Epiphaniæ usque ad septuagesimam et ab octava Pentecostes usque ad adventum Domini fieri de Beata Maria solemne officium cum novem lectionibus, quod antea non fiebat. Hujus tempore, in eadem ecclesia statutum est fieri triplex festum de Sancto Eutropio martyre. Circa idem tempus primo celebratum est festum de Eucharistia in partibus istis, scilicet sub tempore Johannis XXII papæ, licet institutum primo fuit ab Urbano III papa.

Ann. 1286.

Anno MCCLXXXVI, obiit dominus Mathæus abbas Sancti Dionysii, cui successit Robertus ejusdem cœnobii monachus. Obiit Vincentius abbas de Valemont, cui successit Nicolaus ejusdem cœnobii monachus (3).

Ann. 1287.

Anno MCCLXXXVII, in crastino Sancti Philippi, obiit Johannes abbas Sancti Audoeni. Hoc anno celebrata fuit prima missa in capella Sanctæ Katharinæ, sabbato sabbatorum, præsente Johanne abbate et conventu. Hoc anno, in vigilia Sancti Johannis Baptistæ circa horam nonam, immensa tempestas lapidum cecidit, quæ mala multa fecit in multis locis, bladis et cunctis sementibus, maxime circa Novum-Castrum (4).

Ann. 1311.

Universis præsentes litteras inspecturis frater Willelmus, abbas humilis Beatæ Katarinæ de monte Rotomagi, salutem in Domino: Noveritis nos bono animo et concessu dedisse dilecto filio nostro et commonacho fratri Willelmo de Sancto Wandregisilio abba (*sic*), dicto le Forestier, licentiam et mandatum speciale emendi, conferendi, et pro salute animæ suæ largiendi vicecantori ecclesiæ nostræ et ejusdem officio deputato decem solidos annui redditus, pro quibus tradidit ejusdem succentori centum solidos Turonenses in pecunia numerata, eo acto quod idem Guillelmus post decessum suum anniversarium in conventu, prout moris est, habebit, et habere in æternum (5).... Insuper cantori et succentori nostræ predictæ ecclesiæ ne hoc in futuro decernerent irritum et inane. In cujus rei testimonium, præsentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno Domini mccc undecimo, die martis post pardonem Beati Romani Rotomagensis archiepiscopi.

(1) Anno 1311.

(2) Iste est Ægidius de Monte-Acuto qui Parisius collegium de Monte-Acuto instituit.

(3) Abbatum Validi-Montis annos non reperies in *Gallia Christiana*, t. XI, p. 279.

(4) Etenim apud Novum Castrum (hodie *Neufchatel*) amplis possessionibus Sanctæ Catharinæ monachi fruebantur, ut, ex quam plurimis editi Chartularii locis, foliis videlicet 423, 426, 431 et cæteris, patebit. At in illo chartulario nusquam *Novum castrum*, sed ubique *Drincurt* nuncupatur. L. D.

(5) Nonnulla verba in ms. codice desiderantur.

Ann. 1312.

Anno MCCCXII, vi kalend. maii, quidam Energumenes et totius mentis animique sensu privatus Rotomagi natus, dictus nomine Robertus Anglicus, circa horam tertiam, videlicet eadem qua beata virgo Katarina martyrio occubuit, et etiam passa fuit, meritis ejusdem a dæmone liberatus est, et in momento pristinæ redditus sanitati, præsentibus de vicinis suis pluribus et monachis ibidem aggregatis, maxime Roberto tunc priore, Jordano tunc sacrista, omnisque conventus hymno ipsius virginis cantato, ipsum vidit, et ad domum suam amici ejus eum reduxerunt, præstante Domino Jesu Christo, qui in Beata Virgine semper laudabilis et gloriosus in sæcula sæculorum. Amen.

Hoc anno, apud Viennam (1) obiit magister Vuillelmus dictus Bonnet Baiocensis episcopus, cui successit vir nobilis et discretus, magister Vuillelmus de Trie, filius domini Martini de Trie, ex dono papæ. Consecratus fuit a magistro Philippo de Maregny archiepiscopo Senonensi, dominica sexagesimæ, præsentibus pluribus nobilibus.

Eodem anno, obiit Simon de Neelle, Belvacensis episcopus, cui successit magister Johannes de Maregny ex dono papæ. Hoc anno, in quadragesima miraculum pretiosum, licet infinita fiant per annum. Nam quædam, quæ totaliter incedendi officium amisit, ad montem delata sanitatem sine mutilatione recuperavit, assistentibus personis cujuslibet conditionis.

Ann. 1313.

Anno MCCCXIII, regale et delectabile festum in die Pentecostes Parisius factum fuit a venerabili et illustrissimo domino Philippo rege Francorum, ad quod pervenerunt ejus regni omnes nobiliores, scilicet duces, comites, barones, milites, archiepiscopi, episcopi et multi prælati (2). Ad quod nemo fuit, qui nobilitatem ejus, præparationem et inenarrabilem lætitiam narrare potuisset. Quia Universitas magistrorum ejusdem civitatis et clericorum cum omni reverentia et honore alacriter se præparavit, et eodem

(1) Secundum *Galliam Christianam*, t. XI, p. 371, obiit Andegavis.

(2) Ordinem quem personis hic laudatis scriptor assignat mirere, si quidem ubique tunc temporis priores nominantur Ecclesiæ prælati, posteriores autem sæculi principes. Cf. ea de re quæ annotavimus in Opusculo: *Sur un billet d'indulgences délivré au XIIIe. siècle, par l'abbaye d'Ardennes, près Caen, à ses bienfaiteurs*, ap. *Mémoires de la Société des Antiquaires de Normandie*, t. XVII, p. 549, not. 2. Illius vero hierarchiæ qua barones, comites, duces, reges ipsi archiepiscopis, episcopis, presbyterisque ipsis subjiciebantur rationem plurimi dederunt theologi coætanei, quos inter Johannes Sarisberiensis, in *Policratici* libro quarto, capite tertio, ubi asserit « Principem ministrum esse sacerdotum et eis minorem..... Est princeps sacerdotii quidem minister et qui sacrorum officiorum illam partem exercet quæ sacerdotii manibus videtur indigna. Sacrarum namque legum omne officium religiosum et pium est, illud tamen inferius quod in pœnis criminum exercetur, et quamdam carnificii repræsentare videtur imaginem. Unde et Constantinus Romanorum fidelissimus imperator, quum sacerdotum concilium Niceam convocasset, nec primum locum tenere ausus est, nec se presbyterorum immiscere consessibus, sed sedem novissimam occupavit. » Ne obliviscatur lector Johannem Sarisberiensem Thomæ Becket omnino devotum fuisse, ita ut ejus *et oculus et brachium* diceretur. Cf. *Histoire littéraire de la France*, t. XIV, p. 95. A. CH.

modo consequenter omnes qui in civitate permanebant se præparaverunt, quisque secundum opus suum. Ad quod perficiendum nulla fuit deficientia, sed in omnibus affluebat abundantia. Quæ solemnitas cum inenarrabili gaudio incepta fuit dicta revelatione et delectabili receptione domini Edouardi, regis Anglorum et illustrissimæ dominæ reginæ ejus uxoris, filiæ venerabilis prædicti regis Francorum, qui prædictus rex Anglorum Parisius intravit cum magna multitudine nobilium regni sui, ad quos omnis civitas alacriter recipiendos cum omni reverentia et honore exivit et surrexit. Ad quod etiam domini cardinales a domino papa missi fuerant annuntiare et prædicare crucem, in qua passus est Dominus noster Jesus Christus. Quam excellentissimus rex dominus noster prædictus Francorum et prædictus rex Anglorum et reverendissimus rex Navarræ, filius dicti regis Francorum et eorum uxores devotissime admiserunt, et innumerabilis multitudo hominum. Quæ lætitia a die Pentecostes usque ad Trinitatem duravit. Eo facto, præfati reges venerunt apud Pontisaram ad certum colloquium, et quadam nocte lectus, in quo prædictus rex Anglorum et ejus uxor erant, totus inflammatus est igne. Quod ut rex Angliæ percepit, cito toto corpore nudo surrexit et uxorem suam inter brachia sua composuit, et sic gratia Dei liberati a combustione fuerunt. Colloquio facto, prædictus rex Anglorum cum sua uxore cito in regnum suum transfretavit. Sed in eodem anno, cum ejus licentia, uxor ejus in Franciam remeavit. Sed devenit, diaboli procuratione, magna in familia regali tribulatio, quia regina uxor domini Ludovici regis Navarræ filii prædicti regis Franciæ, et cum ipsa eodem modo uxores fratrum domini sui, quod regina Anglorum prima percepit, in adulterio deprehensæ sunt cum duobus militibus fratribus, Philippo scilicet et Galtero de Lanney. Prædicta ergo regina Navarræ jussa fuit exspoliari a corona sua et in carcerem mitti cum duabus uxoribus fratrum prædicti regis Navarræ, quarum una quæ erat uxor nobilissimi Philippi in ipso anno ab hoc maleficio liberata fuit et a marito suo revocata, aliis interim adhuc in carcere separatim commorantibus.

Ann. 1314.

Anno MCCCXIV, obiit papa Clemens post cujus obitum fuit sedis apostolicæ magna vacatio, et, apud reges Franciæ, evenit iterum horribilis et inenarrabilis tribulatio, quia contentio commota fuit inter Flandrenses et Francos, et super terram Flandrensium perrexerunt Franci, duce illustrissimo rege Ludovico filio regis Philippi, et cum eo Enguerranus de Maregny, miles, tunc temporis conservator totius regni Franciæ, per cujus consilium pax aut vindicta eorum districta fuit, ut plures testabantur, et tunc, post recessionem Francorum et Flandrensium, prædictus rex Ludovicus pervenit recte, causa peregrinationis, cum magna devotione usque ad Sanctam Katarinam, et ibi non sumpsit prandium.

Eodem anno postea obiit illustrissimus rex Franciæ nuncupatus, pater prædicti Ludovici regis. Post cujus obitum mundo non evenit nisi tribulatio, quæ incepit supra Enguerranum militem, qui quidem fuit primo parvæ progeniei, non divitiis multum, sed eo quod quum vocatus fuit in servitium regis prædicti, alternatim sensu et ingenio, magno in honore et ineffabili potentia ascendit. Fratres prædicti regis Philippi, et totius regni comites atque barones, post mortem suam, super Enguerranum ostenderunt mortalem invidiam, quæ invidia producta fuit usque ad patibulum. Qui quidem Enguerrannus dixit, in magno periculo mortis, cum omni populo dolente et lacrymante pro ipso, quod ejus mortis non erat reus. Cujus finita et undique nuntiata morte, evenerunt sævissimæ contentiones cunctis regalibus, et per totum regnum.

Ann. 1321.

Anno MCCCXXI, capti fuerunt omnes leprosi per totum regnum Franciæ et a domino papa condemnati, multique in diversis locis igne combusti, et qui remanserunt in domibus suis inclusi sunt. Conspiraverunt enim, ut quidam eorum confessi sunt, ut delerent omnes sanos Christianos, tam nobiles quam ignobiles, et ut haberent dominium totius mundi.

Eodem anno, occisus est Hugo de Berneval (1) in villa de Dieppa, quæ antiquitus Berneval vocabatur (2), a Reginaldo Buvrel cum aliis quinque nobilibus qui secum fuerunt ad homicidium illud perpetrandum. Qui omnes simul capti fuerunt, et ducti in carcerem domini archiepiscopi apud Rotomagum et ibi per spatium temporis detenti. Tres illorum, videlicet Reginaldus Buvrel, Nicolaus de Baudribosc, et Simon Bure, quod horribile est dicendum, sabbatho, in vigilia Pasche, turpiter occisi, ac satis cito post ad castrum deportati; alii tres in custodia regis remanserunt.

Eo tempore, in dicto templo Sanctæ Katarinæ appositum est horologium (3), quod facile apud Roncherollium (4) audiebatur; quod quidem ita compositum erat, ut insolita sed grata methodo hymnum *Conditor alme siderum* exprimeret.

Ann. 1322.

Anno MCCCXXII, mortuus est Philippus, rex Franciæ, frater Ludovici regis, cui successit Carolus ultimus frater eorum, vir potens et nobilis, et in armis strenuus.

Egidio archiepiscopo Rotomagensi successit Guillelmus, de ordine Sancti Benedicti monachus, deinde abbas de Moissac, postea episcopus Lingonensis, ac deinde, provisione domini papæ Johannis, archiepiscopus Rotomagensis. Hic ecclesiæ Rotomagi dedit reliquias et præcipue de Sancto Desiderio martyre et episcopo Lingonensi, unde et festum ejusdem martyris statutum est fieri in ecclesia Rotomagensi.

(1) Hunc locum (hodie *Berneval Le Grand, dans le canton d'Offranville*) cave ne confundas cum alio portu ejusdem nominis, quem in extremis forestæ Fiscannensis finibus situm monachis Sancti Georgii de Bauquervilla Henricus I concessit, ut ex ipsius litteris constat, cujus exemplar inter collectanea clarissimi viri Moreau, in Nationali Bibliotheca, capsa 41, inspeximus. Eo magis sunt perpendenda ea quæ hic in Novis Chronicis de priori Deppæ nomine traduntur, quo revera Britnevallis priusquam Deppa in vetustis documentis memorata reperiatur, exempli causa in diplomate quod pro Sancti Dionysii in Francia monachis, anno 968, Ricardus Normannorum dux subscripsit, quod quidem ap. D. Bouquet, t. IX, p. 731, insertum nacturus es. L. D.

(2) De nomine urbis Dieppæ cf. L. Vitet, *Histoire des anciennes villes de France; Dieppe*, t. I, p. 1 et seqq.; ubi de nuncupatione ista *Berneval* ne verbum quidem. A. CH.

(3) Non hujus tantummodo horologii sonis quondam Rotomagensium aures recreatæ sunt. Omisso quidem Grosso civitatis Horologio, notandum duximus esse, quod in compoto fabricæ sive operis monasterii Sancti Audoeni anno 1422 confecto, in Inferioris-Sequanæ Archivis eruimus: « Pro pensione orologii, xl solidos. Pro pensione du carrelioug, xxx solidos. » L. D.

(4) Vicus non procul a Rotomago, et tribus leucis a Sanctæ Katarinæ cœnobio.

Hujus temporibus, propter timores nocturnos, dicere cœperunt in ecclesia Rotomagensi matutinas de die in mane, quod antea non fiebat, sed, more debito et a Sanctis et Ecclesia aprobato usque ad illud tempus, agebantur de nocte.

ANN. 1330.

Obiit hic archiepiscopus anno Domini MCCCXXX, die præcedente festum Sancti Andreæ apostoli. Sepultus [est] in ecclesia Rotomagensi.

Huic Guillelmo successit magister Petrus Roger, virili ætate florens, doctor in theologia, Lemovicensis natione, monachus de Casa-Dei, verbi divini prædicator excellentissimus. Huic contulit dominus papa primo regimen ecclesiæ Fiscannensis; qui aliquanto tempore ibidem abbas præfuit, et, multis bonis collectis, dono ejusdem papæ factus est episcopus Atrebatensis. Post breve autem temporis spatium ab episcopatu translatus est ad sedem metropolitanam Sanctæ Senonensis ecclesiæ archiepiscopatus. Deinde, adhuc eodem papa concedente, factus est archiepiscopus Rotomagensis. Erat autem regalibus negotiis propter suam prudentiam frequenter assistens, et ecclesiæ suæ minus, tantæ vir eloquentiæ quam expediret, insistens.

ANN. 1337.

Anno MCCCXXXVII, idem Petrus archiepiscopus devotionis affectu permotus erga Beatum Martialem, festum ejusdem, sicut de apostolo, in ecclesia Rotomagensi instituit triplici modo celebrari. Et, quia in prima celebratione non interfuit, in synodo frequenti ex parte ejusdem Sancti vitam et actus sacros recitavit, ac festum amodo fieri v non. julii publice ordinavit. Quod quidem festum alibi agitur in crastino passionis Sanctorum apostolorum Petri et Pauli. Instituit etiam festum Sancti Guillelmi ix lectionum. Eodem anno, in eadem ecclesia, institutum est festum celebrari de Beata Anna matre genitricis Dei Mariæ triplici modo in crastino Sancti Jacobi apostoli, procurante magistro Guillelmo de Albiniaco, tunc cantore ejusdem ecclesiæ, et per magistrum Guillelmum de Insula ecclesiæ cancellarium triplicatum est festum Sancti Andreæ apostoli, quod fiebat duplex.

ANN. 1338.

Anno MCCCXXXVIII, idem Petrus archiepiscopus Rotomagi per dominum papam Benedictum XII factus est cardinalis, et, provisione ejusdem papæ, dominus Aymericus factus est archiepiscopus Rotomagensis.

ANN. 1342.

Idem autem Petrus Rogeri, de quo prædictum est, cardinalis, anno Domini MCCCXLII factus est papa dictus Clemens VI, et, eodem anno, in ordinibus mensis septembris, creavit x cardinales. Eodem anno, in octavis nativitatis Beatæ Mariæ, ecclesia ejusdem de Becco-Heluyni, tota de novo constructa, ab episcopo venerabili Johanne Abrincensi dedicata est, præsentibus episcopo Lexoviensi et quodam Augustinensi, vicario Rotomagensis archiepiscopi, et xv abbatibus. Prædictus archiepiscopus Aymericus, devotione affectus erga Beatum Martinum, cujus olim fuerat Turonensis canonicus, ejusdem festum triplici modo celebrari instituit in ecclesia Rotomagensi. Translationem ejusdem confessoris fecit triplicari quidam canonicus, scilicet Johannes Guilloti. Pariter autem ante triplicatum fuit festum Sancti Michaelis.

Anno MCCCXLII, tantum inundavit fluvius Sequanæ circa Rotomagum, quod aqua superavit calceyam de Martainville, et quod gentes desuper navigio transfretabant usque prope portam de ponte Hunfredi (1). Incepit circa festum in catedra Sancti Petri, et multi equitantes volentes et præsumentes transire cum equis suis ceciderunt a parte prati; sed, Dei gratia, fuerunt liberati, auxilio nautarum. Item, major fuit inundatio, æque in eodem loco anno Domini MCCCXLVIII.

ANN. 1344.

Anno MCCCXLIV, circa festum Mariæ Magdalenæ valuit bladum per regnum Franciæ pretio et numero quinquaginta solidorum et sæpe amplius. Post prædictum festum una mina non valuit nisi pretio decem solidorum, et tam cito per totum regnum quod mina non valuit viii solidis, aliquando vii, aliquando vi de meliori (2).

ANN. 1345.

Anno MCCCXLV, in vigilia Sancti Petri ad vincula, similiter et in die ejusdem festi declarata fuit injusta occasio atque falsa procuratio a Majore ejusdem villæ Rotomagi (3) cum suis complicibus procurata apud regem Franciæ, ad quem fraudulenter denuntiatum fuit a prædicto Majore cum cæteris pluribus. Occasio tamen talis fuit: anno prædicto, dictum fuit domino Regi, quod villa Rotomagensis tantum erat in expensis, et in magnis debitis, et in multis gravaminibus detenta, impressa et compulsa, quod talliam nesciebant nec poterant evitare; et totum erat falsum. Credidit dominus rex falsorum verbis propter quod motus fuit in effectum pietatis, et concessit iis falsis dictoribus unam impositionem super vendentes et ementes totius villæ, spatio unius anni durante, ita quod omnes vendentes et ementes solverent æquali portione ex utraque parte, videlicet de viginti solidis quinque denarios (4).

ANN. 1347.

Anno MCCCXLVII, circa festum omnium Sanctorum advenit Johannes, dux Normanniæ, in villam et civitatem suam Rotomagensem, et cum ipso comes d'Armaignac et plures alii, qui dux, per totum ducatum, universalem petitionem humiliter fecit pronuntiari per os prædicti comitis. Petitio talis fuit: Rex enim Angliæ injuste et sine causa fraudulenter per Normanniam fecit multa dampna, pro quibus dux intimo corde se condolebat, et a quo volebat se vindicare et pro hujus causa in Angliam cum magno exercitu transfretare, et propter hoc petiit ut omnes secundum suas facultates, videlicet omnes prælati, priores, curati, clerici et omnes laici ven-

(1) Iste pons in via dicta *Martainville* situs erat juxta trivium quod nuncupatur *Le Ruissel*. — Hæc verba: « Gentes desuper transfretabant usque prope portam de ponte Hunfredi » citavit jam amicissimus Ch. Richard (quem eheu! res politicæ literariis rebus miserrime furatæ sunt), in *Recherches historiques sur Rouen*, in 8°. 1844, p. 21, not. 2; sed pro *Hunfredi* legerat, oculatissimus tamen, *Hunfridi*, nisi forte istud *i* typographis sit imputandum. A. CH.

(2) *Et in margine scriptum est:* quod anno mvc xlvi, mina bladi venundata est octo et sæpe novem libris.

(3) Hoc anno Jacobus Barré Majoris officio fungebatur.

(4) Hic manifestum directarum indirectarumque (si res antiquas recentioribus vocabulis designare liceat) impositionum discrimen apparet: tallia pro personis, auxilium vero quinque denariorum ex mercatibus exigebatur. L. D.

(5) *Et ad marginem scriptum est:* Nunc consiliarii villæ cum locum-tenente baillivi dicto Johanne Moges pejus faciunt, hoc anno mvc xlvi.

dentes et ementes solverent impositionem usque ad terminum trium mensium, quod et multa alia in subsidium ab omnibus benigne concessa sunt, quibus completis et tribus mensibus peractis prædictæ impositionis, iterum hanc baillivus Rotomagi fecit proclamare per compita et bivia civitatis, ut spatio novem mensium impositio prædicta duravit (1). Quo audito, tunc incepit universalis mutinatio per totam civitatem omnium gentium civitatis, de quibus pluribus locis erat magnum monopolium, et in die festi Sancti Martini æstatis fuerunt omnes cum magno tumultu et horribili impetu congregati ad defendendum et extirpandum domos omnium qui sumpserant prædictam impositionem ad firmam; quod quum fuit factum protinus, causa talis impositionis veraciter et firmiter per totam Normanniam usque in perpetuum dimissa fuit, et sic in villa conquieverunt.

ANN. 1348.

Anno MCCCXLVIII, in decima quinta die mensis maii repente advenit, per medium totius villæ Pavillaci (2), tempestas aquarum, currens quasi diluvium altitudine et profunditate duodecim pedum per circuitum totius vallis ejusdem villæ et cecidit massa illius aquæ in circuitu quatuor parrochiarum, videlicet Hugleville, Esmanvillæ, Lymesii et Sanctæ Austrebertæ. Protinus subito eventu omnia molendina a Paviliaco intra et extra usque ad Sequanam fuerunt destructa, et similiter multæ domus cum omnibus pertinentiis et divitiis in iisdem consistentibus, maxime homines et eorumdem uxores et plures pueri in cunabulis jacentes et multa dolia vini plena aut dimidia per abundantiam hujus aquæ sine numero in prædicto die et tempore perierunt. Notitia hujus damni non est homini viventi, nec de brutis animalibus in campis et domibus mortuis est numerus. Talis desolatio fuit et est et erit, intuitu divino, per totam patriam cunctis in peccatis dormientibus commemoratio ad salutem animarum omnium Deum timentium, unde benedicta sit tribulatio per quam sequitur animæ salvatio.

Item, in prædicto anno, in dicto loco Paviliaci, in mense octobris, incepit quædam infirmitas quasi subitanea, ut quicumque de tali infirmitate detinebatur paucis diebus viveret. Sed, Dei gratia, jura (3) omnia ad salutem animæ unusquisque percipiebat. Eadem infirmitas incepit currere in pago Rotomagensi et Rotomagi circa festum Sancti Johannis Baptistæ eodem anno, et vocatur ea infirmitas Epidemia (4); unde quibusdam apostemata (*vel* apostumata) venenosa crescebant in gutture et sub ascellis. Nunquam post diluvium visa fuit talis mortalitas universalis in tantum; unde ab ultima septimana mensis augusti fuit numerus omnium gentium in villa Rotomagi defunctorum amplius pro (1) centum millibus usque ad nativitatem Domini.

Noverint omnes monachi præsentes et futuri in monasterio Sanctæ Trinitatis Sanctæque Katarinæ conversantes in monte Rotomagi quatenus de tempore præterito usque ad istum annum præsentem, qui talis est annus MCCCXLV, non erat memoria hominis cui subveniret audivisse nec vidisse nemora quæ sunt nobili militi domino dicto de Preaux unquam dividi, inter tenementum et feodum terrarum quæ sunt viris religiosis abbatui et conventui monasterii prædicti, sita in parochia Sancti Jacobi super Danestal (2), et in parochia de Capræ-Villa-la-Milon (3). Hoc tamen fuit inceptum anno prædicto in decima quinta die mensis maii et completum in prima hebdomada mensis junii, vivente domino Petro de Preaux (4), milite, et domino Johanne dicto Celles, abbate monasterii prædicti, et domino Johanne dicto de Mara baillivo (5) tunc temporis, qui prædictus baillivus habebat posseplenarium ab abbate et conventu suo sibi concessum ad hoc opus perficiendum. Similiter a parte prædicti militis, dominus Johannes dictus Du Vivier, miles, cum Stephano dicto de Monte-Assato habebant posse sibi concessum a prædicto Petro de Preaux. Unde sciendum est etiam quod omnes homines qui terras habebant aboutantes vel adjacentes ad nemus prædictum ubicumque esset per totum circuitum parochiarum prædictarum habuerunt augmentationem nemoris, videlicet cum vicis, quidam plus et alii minus, et fuerunt, sunt et erunt dividicula lapidea magna et dicta *greys* noviter posita ex mensura longitudinis trium pedum, uno pede cum dimidio super terram emi-

(1) Legendum forte : *duraret*. A. CH.

(2) Cf. supra, p. 2, not. 3. Si quis forsan miretur monachos Sanctæ Catharinæ res Paviliaci tantopere curavisse, non obliviscendum reor eosdem monachos Paviliaci Sanctæ Austrebertæ conventum tenuisse, et multa bona ab Esnevalli dominis, qui Paviliaco potiebantur, accepisse.

(3) Sic in ms. ; melius forsan *justa*.

(4) De eadem epidemia, alias Nigra peste dicta, fusius loquitur continuator Chronici Guillelmi de Nangiaco, t. II, p. 211 et sqq. recensionis H. Geraud. Collige etiam a Simone de Covino latine scripta carmina, quæ apud *Bibliothèque de l'Ecole des Chartes*, primæ seriei tomo II, pag. 208 produxit Dominus Littré. Inter recentiores nonnulli epidemiam, quæ anno 1348 grassata est, huic dirissimæ lui, quam Cholericum Morbum vocamus, haud dissimilem asseruerunt. Quorum autem sententiam minime comprobabunt quicumque attenderint singulos nigræ pesti obnoxios venenosis apostematibus in gutture et sub ascellis laborasse, testibus Guillelmi continuatore Chronicorumque Sanctæ Catharinæ scriptore.

(1) Sic ms.; verbum *pro* delendum censeo.

(2) Hodie Darnetal, quasi *Daner-thal*, Danorum vallis, juxta Rotomagum. — Hujus vocis etymologiæ perquirendæ plures insudarunt scriptores, inter quos duorum sententiam hic adducemus : « Cette dénomination est tirée de la langue des peuples du Nord. Nous y avons ajouté l'article *de : Arnetal*, *Talarne* et *Delarne*, signifie *les vallées*. Huc usque cl. vir De La Rue, in *Essais historiques sur la ville de Caen*, t. I, p. 94. Haud eamdem proposuit originem doctissimus vir Ed. Du Méril, libri nuncupati *Dictionnaire du patois normand* paginis 76 et 77, ubi sub vocibus *Dale* et *Darne* legimus : « Dale, s. f. Vallée ; du norse Dal dont la signification est la même. — Darne, s. f. Portion, Morceau ; en breton Darn a la même signification » L. D.

(3) Vicus juxta Darnetal, hodie *Quièvreville*.

(4) « Pierre, sire de Preaulx, chevalier bacheler », inter Normanniæ nobiles reperies nominatum, qui, anno 1339, cum Philippo Francorum rege, ad invadendam debellandamque Angliam pacti fuerunt. Autographo ejusdem fœderis exemplari, quod Parisiis in Nationalibus Archivis, sub signo J. 210, n°. 7 asservatur, mutilum pendet, cera viridi impressum, dicti Petri sigillum, quo eques adumbratur; contra sigillum autem cujusdam aquilæ effigie videtur distinctum. L. D.

(5) Baillivo videlicet monasterii Sanctæ Catharinæ. Nam anno 1346 baillivus Rotomagensis præsidebat aut Johannes de Sancto Quintino, cujus nomen anno 1345, occurrit folio 57 Chartularii *prioratus Bellimontis Rogeri*, Parisiis in Mazarinæa Bibliotheca reposito, aut Petrus de Locovillari, anno 1347 in Rotomagensi *Philippi Alenconiensis Chartulario*, folio xiii recto, nominatus L. D.

nente. Ista divisio et compositio est usque in finem durabilis, quæ quum fuit facta anno prædicto per xii homines dignos et fideles, videlicet per sex homines a parte militis et per sex a parte religiosorum virorum, unusquisque homo a parte sua invenit aut emit dividicula sua tantum quantum sibi sufficiebat, et ideo, ut memoria hominis est semper labilis, bonum est et utile in scriptis ponere de quo possit futuris hominibus de præteritis subvenire. In illo tempore et anno erat firmarius Willelmus Osber in manerio nostro apud Sanctum Jacobum (1).

ANN. 1376.

Anno MCCCLXXVI, in die Sancti Martini in hyeme, fuit tale tempus apud monasterium Sanctæ Trinitatis, et nix fuit talis quod major missa et missa matutinalis fuerunt celebratæ extra chorum propter nivem, in capella Sancti Petri.

ANN. 1378.

Anno MCCCLXXVIII, amisit omnia castella sua in Normannia præter *Cherbourg* (2) rex Navarræ, et fuerunt evulsa usque ad terram. Eodem anno, alecia fuerunt diffamata per regem Angliæ (3), et dictum fuit quod fecit ponere venenum intra illa, quin etiam rex Angliæ fecit pellere extra regnum suum omnes Francos et Normannos tam religiosos quam sæculares.

Sciendum est etiam quod in tempore domini Raynerii secundi, abbatis Sanctæ Trinitatis in monte Rotomagi emptæ fuerunt molituræ (4) terrarum parochiæ de Mesnilo Esnardo (1), in qua conventus Sancti Laudi Rotomagensis habet plures terras, quæ debent molituram aut portari [debent] ad molendinum de Nido-Canis (2), videlicet quinque virgultæ sitæ super montem de Lescure (3), juxta terram ex uno latere quæ est Eleemosynarii predictæ abbatiæ. Item, tres acræ juxta Lourmel de Houlegasse (4). Item, tres acræ juxta viam de Lescure. Item, tres acræ juxta puteum (5)..... ex uno latere terræ domini Esnevalis. Item, septem virgultæ ad Malleis ex uno latere domini prædicti. Item, duæ acræ et dimidia ad Campum-Lupi (6) perducti ex uno latere ad viam domini regis. Item, triginta per quæ ex uno latere terræ quæ est Roberto Radicis. Item, septem virgultæ ad Campum-foveæ, in extremo ad Calceyam. Item, quinque virgultæ ad vicum Nasturcii ex uno latere terræ dictorum religiosorum Sanctæ Katarinæ. Item, quatuor acræ cum dimidia ad campum de la Tinete. Item, tres virgultæ sitæ juxta hayam Decani.

Item, abbas et conventus Sanctæ Katarinæ possident, apud Biovillam (7), a domino Esnevali, ob suum feodum Biovillæ, viginti et unam masuras, quæ emptæ fuerunt, in tempore illo, in quo omnes religiosi poterant ubique volebant emere, et pro ipsis debentur quinquaginta solidi prædicto domino tantummodo sine homagio, et absque ulla altera reclamatione, qualiscumque sit, quia feodum ipsarum masurarum mortificatum est, ut in litteris apparet patentibus sigillatis in cera viridi et laqueo de serico.

(1) Ex dono Emmæ filiæ Osberni Pacifici abbatia Sanctæ Catharinæ terram Sancti Jacobi possidebat. In edito Chartulario, pag. 424, sub numero IV, ipsius Emmæ chartula legitur, Willelmi comitis, qui postea Angliam acquisivit, signo roborata. L. D.

(2) Non ante annum 1395 in Francorum regis ditionem rediit castrum de Cæsarisburgo, ad quod obsidendum ingenia, in foresta de Monteforti confecta, Rotomagenses cives direxerunt, ut ex quodam Deliberationum Registro, in ejusdem municipii tabulario A. 4. signato, foliis 14, 15, 18 et 19 comprobatum habetur. L. D.

(3) Jam perfidis rumoribus Deppensium ruinam Angli fortasse machinabantur: quis enim nesciat præcipue allecium captura mercaturaque ditatos floruisse Deppenses, qui, exeunte xiv°. sæculo, per Oceanum Britannicumque mare plurimas Anglorum naves deprædati sunt. L. D.

(4) Frequentius *molta*, quam siccam madidamve distinguebant, eodem accipitur sensu. Quæcumque blada in terris hujusce modi præstationibus obnoxiis excreverant, ad domini molendinum erant deferenda, nisi, quibusdam nummis annuatim solvendis, pessima, de qua agitur, consuetudo redempta fuisset. L. D.

(1) Vicus juxta Rotomagum dictus hodie Le *Mesnil-Esnard*.

(2) Juxta Darnetal, dimidia leuca a Rotomago distat, et nunc adhuc vocatur *Le nid-de-chien*.

(3) *Lescure* ad Sequanam, una *leuca a Rotomago*.

(4) *Hol*, cava; gasse, via. Hæc via de monte Sanctæ Catharinæ ad Sequanam ibat.—Clarus vir De La Rue *Catehoule* aut *Holegate* cavam viam interpretatus est, ap. *Essais historiques sur la ville de Caen*, t. I, p. 36. Domini Edélestand Du Méril, qui eadem vocabula gallice *porte creuse*, *passage creux* vertit, ap. *Dictionnaire du patois normand*, p. 114, sub verbo *Gatte*, sententia anteponenda nobis videtur. L. D.

(5) Quædam desiderantur in ms. codice.

(6) Hodie *Pré-aux-Loups* ad Sequanam, intra Rotomagi limites.

(7) Hodie *Blosseville-Bonsecours*, juxta Rotomagum.

CHRONICORUM FINIS.

AD NORMANNIÆ NOVA CHRONICA

APPENDICES VARII.

APPENDIX A.

DUDONIS SANCTI QUINTINI VARIÆ LECTIONES E MSS. CODICIBUS.

EDITIO CHESNIANA.	VARIÆ LECTIONES.
	CODEX A.
p. 51 A : Gloriosissimum nominis tui divulgamen culmine superlativo Libaninis superius.	Gloriosissimum nominis tui divulgamen culmine superlativo cedris Libaninis superius.
— Prolixa interpolatione prolixæ longitudinis.	Prolixa interpolatione protensæ longitudinis.
— C : Quidquid multifariarum virtutum ejusdem caritatis filiorum.	Quidquid multifariarum virtutum ejusdem caritatis filiarum.
p. 62 C : Hister fluvius usque eo quo ponto recipitur.	Hister fluvius usque eo quo ponto scithico recipitur.
p. 63 B : Ex Antenore, qui, quæ Trojæ fuerunt depopulatis.	Ex Antenore, quondam Trojæ finibus depopulatis.
p. 71 A : Fugamque stimulantem.	Fugamque simulantem.
p. 76 A : Inque unione intuitu visum defigere.	Inque uno intuitu visum defigere.
p. 78 D : Nos regi Alstemo pacifica et concordare.	Nos regi Alstemo pacificari et concordari parati sumus.
	CODEX B.
p. 84 D : Est templum Sancti Petri, regnum cœlorum Clavigeri.	Est templum Sancti Petri, regni cœlorum clavigeri.
p. 85 A : Ut dignentur mihi in auxilium subvenire. — Franco : consilio divinitus inspirato uteris.	Ut dignentur mihi in auxilium subvenire. — Ad hæc Franco : Consilio divinitus inspirato uteris.
	CODEX A.
— B : Largiri fidelibus.	Largiri suis fidelibus.
	CODEX B.
— D : Diverberata.	Diu verberata.
	CODEX A.
p. 86 B : Nimioque labore præliorum consultus.	Nimioque labore præliorum consumptus.
p. 90 B : Novit se fieri monachum.	Vovit se fieri monachum.
	CODEX B.
— D : Sciscitemur quem.	Sciscitemur ab ipso quem.

VAR. LECT.	EDIT. CHESN.
Stirpe progenitus.	p. 90 D : Stirpe ogenitus.
CODEX A.	
Rollo humillimis suorum verbis.	p. 91 A : Rollo humillimus suorum verbis.
Erit dux hereditarius et oportunus, ejusque ditioni nos voluntarie subjiciemus. (Hæc extrema verba ap. Chesnium penitus desiderantur.)	— Erit dux hereditarius et oportunus.
CODEX B.	
Novit, Christo juvante, se regno auxiliaturum.	p. 92 A : Novit Christo se regnum auxiliaturum.
CODEX A.	
Recipe nos, ut servos offensos pius dominus.	p. 93 B : Respice nos, ut servos offensos pius dominus.
Animositate instigatus.	p. 94 B : Animositate investigatus.
Ut ipse et consiliarii ejus Rotomo trudantur.	p. 95 A : Ut ipse et consiliarii ejus Rotomo tradantur.
CODEX B.	
Delebo hos eorumque cognationem penitus a facie terræ.	p. 96 A : Delebo eos, horumque cogitationem penitus a facie terræ.
Multosque in præliis prostravimus.	— Multosque incœpto prælio prostravimus.
Et quomodo quiverimus tantorum inimicorum faciebus præsentari ?	— Et quomodo quiverimus tantorum inimicorum faciem subsistere?
Invadamus eos audacter ut reos.	— B : Invadamus eos ut agnos lupi.
Lætior itaque peracto prælio, lætissimus de filio, misit Heiricum.	p. 97 A : Lætior itaque peracto prælio lætissimusque filio, misit Heiricum.
Tempore namque prædignæ venationis, quo cervi petulanti luxu urgente congrediuntur cervis geniali jure fœtus concepturis.	— B : Tempore namque prædignæ venationis, quo servi petulanti luxu urgente congrediuntur cervis geniali jure fœtus concepturis.
Quadam denique die.	— Quadam namque die.
Franciscæ nationis.	— D : Franciscæ nationis.
Contra hostium insidias permanebo.	p. 98 D : Contra hostium insidias permansero.
Vivunt incolæ terræ illius legibus affecti.	p. 99 B : Vivunt incolæ terræ illius legibus afflicti.
Willelmus vero per Daciscam linguam quæ dicebant subsamantes intelligendo subaudit, parumperque commotus ira discedit et quæcumque a Rege Henrico narrante audivit regi Ludovico exposuit.	— C : Willelmus vero per Daciscam linguam quæ dicebant subsannantes intelligendo subaudit, parumperque commotus ira discedit et quæcumque rege narranti audivit regi exposuit.
His ita compositis, rege et Willelmo pariter osculatis.	p. 101 A : His ita compositis, rege ..... pariter osculatis.
Sed quia nunc mei juris meæque sum potestatis palæstram theorici callis hinc inde strictius limitati mundum relinquendo mutatoque habitu volo adipisci.	— D : Sed quia nunc mei juris meæque sum potestatis palæstram theorici collis hinc inde strictius limitati mundum relinquendo mutatoque habitu volo adispici.
Audiens autem Martinus abbas merito præcellentissimus hujus mirandæ intentionis subito diriguit, imoque vocem trahens a pectore.	— Audiens autem Martinus abbas merito præcellentissimus hujus mirandæ intentionis subito dirigit, imoque vocem trahens a pectore.
Nusquam in regione tua.	p. 102 A : Nusquam regionis tuæ.
Quare cuiquam retulisti.	— C : Quare cui retulisti.
Nullo modo ut æstimas.	p. 103 B : Nullo modo æstuas.
Diripiunt et destruunt castrum.	— C : Diripiunt et defecerunt castrum.

EDIT. CHESN.	VAR. LECT.
p. 104 B : In pejus plurimæ et nequitia cogente.	In pejus plurimorum nequitia cogente.
— C : Quid tibi videtur sententia.	Quid tibi videtur *de* sententia.
p. 105 C : Cucurrit ad cum.	Currit ad eum.
p. 106 A : XII kalend. januarii.	XV kalend. januarii.
p. 111 B : Qui hujus expeditionis mandato hilaris, mæniaque Fiscannia aggredientes.	Qui hujus expeditionis mandato hilares, mœniaque fiscannia aggredientes.
p. 112 D : Fervens loquacitate Dacisca.	Fruens lingua Dacisca.
p. 113 C : Altaque diversorum ululatu suspiria emittentes.	Altaque diversarum ululationum suspiria emittentes.
p. 116 B : Indebitæ Richardi ducis morti nostrum seniorem Arnulfum favisse.	Indebita Willelmi ducis morti nostrum seniorem Arnulfum favisse.
— Milites vero quibus Richardus plurima mala intulit.	Milites vero quibus Willelmus plurima mala intulit.
p. 117 D : Quasi dissimulatæ corporis sospitate.	Quasi dissimulata corporis sospitate.
p. 118 A : Nudisque plateis ab hominibus, byrro et tantæ liberationis puer indutus.	Nudisque plateis ab omnibus, byrro tantæ liberationis puer indutus.
— D : Ut propositionis meæ proposito.	Ut promissi mei proposito.
p. 119 C : Qui ejus rei negotio auxiliabitur nimium.	Qui ejus rei negotio anxiabatur nimium.
p. 120 D : Ultroneus promissi.	Ultroneus promisi.
— Terram a Sequana usque ad mare hereditario jure ab eo possidendam, dono regis, recepi, eique integerrimæ fidei stabilitatem feci.	Terram a Sequana usque ad mare hereditario jure ab eo possidendam, dono regis, contra jusjurandum quod tibi et ipsi puero juravi, recepi, ipsique regi integerrimæ fidei stabilitatem feci.
— Perjurans repromissi.	Perjurans repromisi.
p. 122 A : Nequibo illi auxiliari.	Non ibo illi auxiliari.
— Quid futuri parient dies illi.	Quid futuri parient dies venturi.
— Richardo eruto ejus avunculis.	Richardo eruto scilicet ab ejus vinculis.
p. 124 D : Miles percussus gemitu regis.	Miles perculsus mente gemitu regis.
p. 125 A : Fidissimos exploratores misit.	Fidissimos exploratores ad omnes fines regionis illius misit.
— D : Ne fortuna vices suas adversa verteret.	Ne fortuna vices suas, adversa re, verteret.
p. 126 C : Fecit securitatem regni, quod suus avus adquisivit.	Fecit securitatem regni Ricardo puero, quod suus avus adquisivit.
— D : Nullis nisi Deo servitium ipse et successio ejus reddat.	Nullis nisi Deo servitium ipse et successores ejus reddant.
p. 129 D : Quibus indiget illius incola.	Quibuscumque indigent illius incolæ.
p. 131 A : Episcoporum cœtu ductuque et procerum frequentia constipatum.	Episcoporum cœtu, ducumque et procerum frequentia constipatum.
p. 132 A : Atque discerpere videntes ut lupi.	Atque discerpere ut bidentes lupi.
p. 135 B : Silvam, quæ dicitur Maliforaminis.	Silvam, quæ dicitur Malipertusi.
p. 136 A : Cœlestibus inhiabat, vitia parvi pendebat, incolasque Northmannicæ telluris lege augebat.	Cœlestibus inhiabat, vitia parvi pendebat, incolasque Northmannicæ telluris lege angebat.

VAR. LECT.	EDIT. CHESN.
Ne alicui ullum præjudicium facerent minabatur et obsecrabat. Ipse dux scilicet sagaci justoque moderamine terram pene totius Galliæ salubriter regebat. Exultabant universi incolæ vel cives.	p. 137 A : Ne alicui ullum præjudicium facerent minabatur et postulabat. Richardo vero duce sagaci justoque legum moderamine, terram pene totius Galliæ salubriter regente, exultabant cœlorum cives.
Richardus vero virilis ubertatis pollens potestate.	— B : Richardus vero virilis ubertatis potestate.
Ut decipiendo deponerent Richardum tanto honore.	— D : Ut decipiendo deponerent eum tanto honore.
Aquitanos arguit et increpat; Britones et Northmannos regit et gubernat.	p. 138 A : Aquitanos arguit, et increpat Britones, et Northmannos regit et gubernat.
Ille, si maluerit resistere, dimicabit.	— C : Ille si maluerit resistens dimicabit.
Audivit enim rumores insurgentium.	— D : Audivit enim errores insurgentium.
Ad ignoscenda offensa paratus.	p. 139 D : Ad ignoscendum offensorum paratus.
Protervos interdum armis, interdum patientia vincens.	p. 140 A : Propter vos interdum armis, interdum patientia vincens.
Præcellens pater exulatis et egentibus, incomparabilisque solator orphanorum et pupillorum.	— Præcellens pater exulis et egentis, incomparabilisque solator orphani et pupilli.
Easque nobis servire vi et potestate urgueamus.	— D : Easque nobis servire et potestate urgueamus.
Dixerunt duci Richardo majores natu defendenti.	p. 141 D : Dixerunt ducem ad Richardum majores natu defendentem.
Misit quemdam Richardulum.	p. 143 B : Misit quemdam Richardum.
Invadit armatos obstantesque Francos, et ante dextra et læva lacerans prosternensque, atque disrumpens cuneos equitum secure.	— C : Invadit armatos obstantesque Francorum, et ante dextra et læva lacerans prosternensque, atque disrumpens cuneos equitum secuit.
Detrimenti illo die infortunium persensit.	p. 144 A : Detrimento illo die infortunium persensit.
Nec formidabant repentinum casum ullius adversitatis delubra, ecclesiasque ab incolis veneranter perlustrari, mysteriumque divini officii solemniter conspexi celebrari.	p. 145 B : Nec formidabant repentinum casum ullius adversitatis delubra, ecclesiasque ab incolis veneranter perlustratus, mysteriumque divini officii sollemniter conspexi celebrari.
Qualicumque modo res cœlestis negotii se habeat.	— C : Qualicumque modo rex scelesti negotii se habeat.
Bis tribus transactis diebus.	p. 146 B : His tribus transactis diebus.
Vos beneficia largiens regenerari sacro fonte faciam, hos oneratis farre.	p. 151 D : Vos beneficia largiens regenerari sacro fonte faciam, vos oneratis farre.
Mirum mihi quid super hoc characterizabunt dialectici, qui cum accidens (nigrum scilicet colorem) Corro Æthiopique categorizant inseparabile esse, hic mutatum vident.	p. 152 A : Mirum mihi quid super hoc characterizabunt dialectici, qui cum accidens (nigrum scilicet colorem) Æthiopique categorizant inseparabile esse, hic mutatum vident.
Emma uxor ejus, filia scilicet Hugonis Magni ducis, defungitur absque liberis, et hujus desolationis.	— B : Uxor ejus filia scilicet Hugonis Magni ducis defungitur, et hujus desolationis.
Luculentæ Majestatis virgini ex famosissima nobilium Dacorum prosapia exortæ, Gonnor vocatæ omniumque speciosissimæ.	— C : Luculentæ majestatis virgini ex famosissima nobilium Dacorum prosapia exortæ, omniumque speciosissimæ.
CODEX B, E MS. UTICENSI.	
Vultuque proclivo.	— D : Vultuque proclivio.
Eam desponsavit, ex qua genuit Ricardum, Robertum, Emmam, reginam Anglorum, matrem Ethwardi, Badiam, Mathildem.	p. 153 A : Eam lege maritimali desponsavit, et ex ea processu temporis quinque masculinæ prolis pignora, feminæque genuit tria.

	EDIT. CHESN.	VAR. LECT.
—	Rotomagensi namque urbe in honore genitricis Dei ampliavit mirabile monasterium longitudinis, latitudinisque atque altitudinis honorificæ exspatiatum incremento. In monte namque maritimo, etc.	CODEX B. Rotomagensi namque urbe in honore genitricis Dei ampliavit mirabile monasterium longitudinis latitudinisque atque altitudinis honorificæ exspatiatum incremento. In suburbio Rotomagensi, ecclesiam sancti Petri sanctique Audoeni restauravit. In monte namque maritimo, etc.
—	B : Domum altiorem capacioremque basilica.	Domum altiorem comptioremque basilica.
—	Seque abluí monte salutifero.	Seque abluí fonte salutifero.
p. 155	D : Hugo dux intronizatus in regno.	Hugo dux, filius magni ducis Hugonis, intronizatus in regno.
—	Et multimodorum prosecutionibus petitionum compescens regem animosum, datis obsidibus pacificavit cum rege Albertum.	CODEX B, E MS. UTICENSI. Et multis precatibus demulcens regis animum pacificavit cum eo Albertum.
p. 157	D : Nemoque poterat discernere quid clerus quidve vulgus concrepabat pro vocibus ululatuum. Quis vero tam ferreum, etc.	CODEX B. Nemo namque poterat discernere quid clerus quidve vulgus concrepabat pro vocibus ululantium. Tenebatur namque a populo feretrum, et retrahebatur retrorsum, ne clauderetur sepulchrum, ut vel uno articulo corpus esset in propatulo, quo satisfacerent suo desiderio. Quis vero tam ferreum, etc.
p. 158	A : Concio pauperum tanti solatii adjutorio viduata ægro ululabant.	Concio pauperum tanti solatii adjutorio viduata ægre ululabat.
—	Varius et diversus tantorum vociferatus, quas cœlum urebat.	Varius et diversus tantorum vociferatus cœlum quatiebat.
—	Comes Rodolfus cum episcopis revellens sarcofagi coopertorium, exinde manavit odor suavior, etc.	Comes Rodolfus cum episcopis revellens sarcofagi coopertorium invenit omnia ejus membra quasi vivi hominis; exinde manavit odor suavior, etc.

APPENDIX B.

VITÆ ABBATUM SANCTÆ KATARINÆ DE MONTE ROTOMAGENSI,

e codice ms. bibliothecæ publicæ Rotomagi, cui titulus *Chronicon triplex et unum*, f°s. 166—173 (1).

I.

Primus cœnobio fuit Ysembertus in isto
Abbas; pro certo sic est in codice nostro.
Hic Audoeni primo monachus fuit almi;
Hic probus ac mitis fuerat monachusque fidelis;
Hic abbas dulcis plus fuit atque humilis.
Regula tunc Sancti servata fuit Benedicti;
Fratres in pace servavit hic sine lite,
Et bona constituit monachis in tempore jura.
Uno cœnobii fuit annis atque viginti
Abbas istius; sic est libro titulatus.
In crypta jacuit primo Katherinæ (1);
Ad magnum templum fuit ejus postea latum
Abbatis corpus in primi tempore cantus.

(1) Liber iste metricus de Sanctæ Katharinæ abbatibus fugit Pomerayum qui *historiam hujus monasterii* scripsit ad calcem historiæ Sancti Audoeni editam. Innotuit *Galliæ Christianæ* auctoribus qui nonnulla hinc inde excerpserunt.

(1) Brevior uno pede versus : post adverbium *primo* addendum, ni fallor, adjectivum *Sanctæ*. A. CH.

Tam bene, tam juste, caste, tam vixit honeste,
Esse virum sanctum quod certe credimus illum;
Per bona, per merita quæ fecit tempore vitæ
Esse coronatus cum Sanctis est reputatus (1).

II.

Abbas Raynerius ista fuit æde secundus;
Libris cœnobii bene possunt ista videri.
Primo Raynerius altus majorque decanus
Rotomagi magna constitit ecclesia;
Tunc possit Sanctæ monachus fieri Katerinæ,
Et si majorem probus hic dimisit honorem,
Dum fuit hic monachus inter fratres quasi primus
Semper vivebat, dominari nec cupiebat.
Post Isembertum, quem credimus esse beatum,
Hic fuit electus Abbas et tam cito factus.
Clericus excellens fuit hic, multum quoque prudens,
Grammata noscebat, leges, divina sciebat;
Hic sermocinium nitebatur cum grege fratrum
Multoties agere vel quasi cotidie.
Carnem jejunus maceravit tempore multo;
Semper vixit ita simplex sicut Eremita;
Quatuor ille loci fuit abbas atque viginti;
Ille fuit positus in capituloque sepultus.
Cum Sanctis anima sua cœlis sit comitata (2).

III.

Quidam Galterus fuit abbas tertius hujus
Cœnobiique domus; Caleto fuit hic homo natus;
Wandregisilli monachus fuit ille beati
Et cantor; Sanctæ misit Deus hunc Katherinæ.
Nam fuit hic justus, humilis, prudensque, pudicus,
Sobrius et castus, sapiens mitisque, modestus,
Templo devotus, ad fratrum jura paratus.
Ecclesiam magnam nostram fecit quasi totam,
Introitus fecit, cancellos, claustraque crevit;
Quadraginta vel plus (3) annos loca nostra
Ille gubernavit; conventum semper amavit;
Hic fecit tantum libratas tempore centum
Quas per quinque vicos hic emit reddituales;
Prædia tam Sanctæque domos crevit Katherinæ.
Tam nos dilexit, et nobis tot bona fecit,
Pro se conventus est Christum poscere tentus.
Templi sub tumba jacet hic a parte sinistra;
Fecit plura bona, o Domine, illi gaudia dona.

IV.

Quartus in hoc abbas tecto permansit Helyas,
Libro testante, qui nobis scribitur inde.
Primo conventus Prior exstiterat; bene scimus,
Et quia conventus vitam noscebat et actus,
Illum dilexit melius quo tempore vixit.
Illi nulla re voluit contrarius esse;
Regula talis fit nobis quantumque Prior sit
Conventus peneque laboris totius ille
Dicitur esse Prior in cunctis participator.
Abbas cœnobio ter sex permansit et uno

(1) Legitur in margine :
Obiit anno 1049. Pomerayus, libro supra laudato, p. 16, fatetur sibi incompertum esse quot annos Ysembertus cœnobium Sanctæ Catherinæ rexerit et quo anno sit mortuus.

(2) In margine legitur :
Obiit anno 1077. Quod parum consentit huic versui :
« Quatuor ille loci fuit abbas atque viginti. »
— Pro 1077 legendum 1078. A. CH.

(3) Sic in ms. codice; melius *plures annos*.

Annis (1), sic nostri declarat littera libri.
Ille jacet navi; jussit sic hoc (2) fieri.

V.

Post hæc Galterus abbas quintus fuit hujus
Cœnobiique domus; sit ob hoc formidine nullus.
Quatuor hic certe fuit annis atque viginti;
Hujus per librum reperimus sic fere factum.
Hic in capitulo ponitur in tumulo.
Qui fecit cœlos a pœnis eruat illos.

VI.

Dum nostris legimus in libris, non reperimus
Quod noster sextus fuit abbas Droco vocatus.
De Cadomo Stephani monachus primo fuit almi;
Nosque ...... (3) semper bene rexit sufficienter,
Fratres dilexit Katerinæ; commoda fecit;
Abbas octo bis et sex nobis fuit annis.
Hic abbas positus nam (4) fuit atque sepultus:
Illic sub tumba fuit ejus corpus (5) et ossa,
Quando defunctus fuit abbas extitit actus
Becci Guillelmus qui fuerat monachus;
Qui non decessit abbas; immo resignavit;
Mirus per merita; littera dicit ita.

VII.

Abbas cœnobio Rogerus septimus isto
Exstitit; hoc scripta testificantur ita.
Tectum temporibus in pace fuit satis ejus;
Pacifice tenuit bene fratres et bene rexit;
Cum Sanctis Christi requiescat luce perenni.

VIII.

Quando Radulphus resinavit, constitit unus
Tunc abbas; qui, dictus Adam Bacon, erat ortus
Ex Hardinvilla; fuit ecclesia sibi cura:
Illius villæ fuerat jam presbyter ille.
Hic abbas uno Katherinæ constitit anno;
Cœnobii sanctæ scripturæ testificantur.
Post Audoeni fuit abbas ille beati;
Ac ibidem solum fuit abbas ille per annum.
Mundus non placuit; sed sponte sua resinavit.
Devote sanctam remeavit hic ad Katherinam,
Abbas unde prius extitit et monachus,
Mundum despiciens, ad cœli gaudia tendens.
Ille rogavit ibi corpus ponique (6) recludi.
Abbas Guillelmus erat illo tempore nonus,
Cujus consensum habuit super hoc quoque fratrum
Recluso positus gaudens ex orbe remotus
Esse, nimis duram cœpit traducere vitam,
Martyrium forte sustinuitque grave (7).

(1) Pomerayus hunc abbatem monasterio quatuordecim annis præfuisse asserit; sed major fides videtur adhibenda codici nostro qui cœnobii archivis nititur : .... *Sic nostri declarat littera libri.*

(2) Ut versus iste qui sic nimis claudicat firmiori pede progrediatur, *hocce* pro *hoc* legendum. A. CH.

(3) Supplerem libenter *suos*. A. CH.

(4) Cum isto *nam* versus peccat et sensu et metro; lege *navi* (dans la nef). A. CH.

(5) In ms. codice :
Corpus ejus et ossa.

(6) Forte pro isto *ponique* quod nullius sensus capax est, legendum *ossaque* vel potius *atque ossa*. A. CH.

(7) Cf. de Recluso *Normanniæ Nova Chronica* ad ann. 1256.

IX.

Vastel Willelmus fuit abbas ordine nonus.
Sat tenuit semper nos voto sufficienter;
Celarium pulchrum, majorem fecit et aulam;
Fecit cœnobii muros ex parte parari
Atque novos fieri, per eum Sanctique Boniti
Argento theca fuit ac auro cooperta.
Pastor cœnobii fuit annis ille viginti
Inde tribus demptis; reperimus nos ita scriptis.
Virginis in Sanctæ festoque die Katherinæ
Officium fecit, magnam missam celebravit;
Hic tenuit plures magnas ad prandia gentes;
Et bibit et comedit, multum læte sibi fecit.
Illas (1) post esus hic conduxit quasi sanus;
Post reditum cameras ridens introivit hic abbas:
Morte repentina cecidit mox ille catedra;
Ante cubile suum mors subitavit eum,
Gentes quæ cum se fuerant tristes rediere,
Flentes pro morte, nimis a casu stupefactæ.
Hic ubi quotidie cantatur missa Mariæ
Ponitur atque jacet; animæ Christus requiem
det (2).

X.

Servillæ (3) denus abbas noster fuit ortus,
Atrox, crudelis fuit hic, sed corde fidelis,
Et tamen iste locus fuit ejus tempore plenus
Divitiis et equis, potibus atque cibis.
Vivus erat dives; post mortem nos locupletes
Dimisit gazis et loca plena nimis.
Condidit hic aulam simul et granchiam prope
portam,
Atque refectorium reparavit tempore multum,
Et per eum Sanctus Vincentius est celebratus.
Cappis nobiliter hic est usus modo noster;
Octavas vere sanctum præcepit habere.
De vini modio fieri pitantia festo,
Et quadraginta solidis debet quia vita
Abbas emit ea nobis; scimus ita (4).
Ecclesiam cappis, casulis ornavit et albis,
Condidit ille cruces (5) ..... nobiliores,
Argentique crucem fecit pernobilitatam
Ornari gemmis, clavis multum preciosis,
Et calices multo decorari condidit auro.
Fecit vas ubi sunt et Sanctorum requiescunt
Reliquiæ claris et resplendentibus auris.
Ille tegi pariter tempore nobiliter
Templi majora fecit fieri duo signa
Quæ fore pulsata debent ad maxima festa
Cœnobiique jocos (6). Hic cum sex octo per annos
Rexit; scriptura testificatur ita.
Illius in navi corpus jacet; hic Paradisi
In sedibus sedeat, gaudia possideat.

XI.

De Plano-Nemore Robertus (7) singula more,
Ante Prior, pura servavit tempore jura,
Abbas undecimus loca rexit nostra Robertus,
Temporibus nostrum qui fecit nobile claustrum;
Infirmitorium fuit ejus tempore factum;
Ille super portam condidit atque casam.
Prædia de monte bonus abbas condidit ille;
Muros et portas condidit et cameras;
Temporibusque suis hic redditibus loca multis
Abbas ditavit; terras census satis emit;
Nummos, gallinas, capones emit hic abbas.
Hic obitum nostri fundatoris (1) celebrari,
Ut festum, cappis; sic præcepit fore nobis.
Cœnobio nostros reliquo de tempore totos
Præcepit fieri sotulares et reparari;
Antea sutores faciebat (2) Rotomagenses:
Sutorem proprium jussit habere domum.
Hic manifestavit et fratribus hic benedixit
Quod quadraginta monachos sancte domus ista
Debet de jure Katerinæ semper habere.
De parco quercus et fagos ille Robertus
Condidit evelli, pomis pirisque repleri;
Ac multis aliis arboribus validis,
Robertus multum decoravit tempore parcum.
Nobis proficiunt fructus qui nunc ibi crescunt;
Quatuor et quinque fuit annis pastor in æde
Hic Robertus; ita testatur littera nostra;
Ille suum navi corpus jussit sepeliri.
Cum Sanctis Christi sibi detur gloria cœli.

XII.

Abbas Richardus fuit numero duodenus;
Nam sic per scriptum nobis est testificatum.
His fuit ille locis abbas bis quatuor annis.
Capella sancti tumulatur Bartholomæi.

XIII.

Quando Forestarius Willelmus, qui fuit ortus
Et venit sancti de villa Wandregisilii;
Hunc librum fecit, descripsit, versificavit,
De Cantu-Picæ Johannes erat Katerinæ
Abbas tredecimus tunc sanctæ (3); nos bene
scimus.
Dum fuit hic abbas Johannes tam cito sylvas
Nostras de Grouchy commissit venditioni,
Turbavit valde conventum venditione;
Hic fuit a suibus et porcellis maledictus.
Fructibus ex horum poterant per quemlibet
annum
Sex decies porci vel plus fieri bene crassi.
Anno milleno trecenteno quoque primo,
Quatuor auratos venundedit octoque pannos
Ecclesiæ sanctæ de thesauro Katerinæ;
Ex hoc conventus non petiit licitum.
Hinc suscepit tres et sexaginta Johannes
Libras, et libram thuris suscepit hic unam.
Jura domus dextra sua perdidit intus et extra;
Devastare bona fuit huic sapientia prona;
Gazæ thesaurum proli donavit et aurum,
Quum tenuit fortis gravis hunc angustia mortis.

(1) Gentes.
(2) Nullam hujus abbatis mentionem in Pomerayo reperies.
(3) Servilla vel Siervilla juxta Pavilliacum. In Gallia Christiana (t. XI, p. 128) *Soto-villa* legitur, in ms. codice *Servilla*.
(4) Ante *scimus* adde *omnes* et forsan quod vere scripsit poeta habebis. A. CH.
(5) *Argento* forsan supplendum. A. CH.
(6) Sic in ms. codic. In *Gallia Christiana*, t. XI, p. 128, *cœnobiique viros*.
(7) Gallice *Robert-de-Plainbosc*. Pomerayus eum cœnobii Priorem tantum asserit. Cf. Normanniæ nova Chronica, ad ann. 1262.

(1) Goscelinus comes cœnobium Sanctæ Catharinæ fundaverat; de quo vide *Normanniæ nova Chronica*, ad ann. 1031.
(2) Sic Editor; lege *faciebant*. A. CH.
(3) Sic Editor: legendum *Sanctæ*, ut reor; quod cum *Katherinæ* grammatice construendum censeo. A. CH.
(4) Errat, ni fallor, *Gallia Christiana*, t. XI, p. 129, quum asserit hunc abbatem, ex auctore metrico, tredecim annos rerum in Sancta Catharina potitum fuisse. Poeta noster Johannem dicit tredecimum abbatem fuisse, et monasterio præfuisse quinque et viginti annos.

Quidquid habebat ei placuit dare progeniei,
Librarum mille plus debita desiit ille.
Abbas tredecimus fuit, ut numero reperimus.
Ante suum funus numerantur bis sex et unus.
In dextra cruce de templo parva jacet æde;
Vermibus esca datur; quod promeruit patiatur.

XIV.

Anno Milleno trecenteno quoque quarto,
Tunc quartus decimus fuit abbas nomine dictus
Domnus Willelmus, multis Prior ante diebus.
Constituit fieri festum Sancti Benedicti
Nobis in cappis quod mense solet fore martis.
Tempore de veteri solet in tribus hoc venerari.
Ille dedit nobis in dicta luce decem bis.
Ad piscem solidos; Prior extans emerat illos,
Et sic donandos jussit per quoslibet annos.
Abbas Guillelmus prædictus constituit plus
Sancti devote Benedicti tactus amore,
Quod sit quotidie memoratio condita læte
Cum cantu, nostro conventu, de Benedicto,
Quæ solet ex usu fieri tacite sine cantu.
Ille Prior mitis, humilis fuit atque fidelis;
Hic abbas talis; non hic ascendit in altis;
Nomine prælati nunquam voluit dominari;
Sunt monachi plures, quando veniunt ad honores,
Qui cupiunt socios suppeditare suos.
Frater Willelmus Forestier (1) nomine dictu
Wandregisilii natus de partibus almis,
Abbatum facta versificavit ita;
Cum sanctis anima sua cœlis sit comitata!

(1, Cf. de isto monacho *Normanniæ nova Chronica* ad ann. 1311.

APPENDIX C.

ROTOMAGENSIS ECCLESIÆ THESAURI INVENTARIUM, SÆCULO XII^mo^. EXARATUM

F°. 50 R°. c. 2,—54 R°. c. 2.

(Vide supra p. 11, col. 1, not. 4.)

Testimonium Johannis de Sancto Romano. Johannes Sancte Romane ecclesie presbiter cardinalis fidelibus Xpisti salutem. Testis sum ego peccator quod totum corpus cum capite beati Romani inventum est quod propriis oculis vidi manibus evolvi tractavi et reinvolvi.

Octo textus tres magni de auro et gemmis et quartus quem dedit Rotrodus Rothomagensis archiepiscopus argenteus et quatuor parvi de argento quorum duo sunt deaurati et nonus quem Amicus thesaurarius dedit de asmaus et vii calices argentei deaurati et unus calix aureus et una patena de argento deaurata. Duo urcei parvi de argento et i magnus ad aquam benedictam. Duo candelabra preciosa argentea deaurata que fuerunt regis Henrici primi et ii alia cotidiana et ii° alia candelabra que dedit inperatrix lapidea. Unum vas auri cum smaragdo pixidem auream intus habens. Duo bacini parvi argentei. Quinque thuribula quorum tria sunt argentea et duo de cupro cum cathenis et anulus argenteus. Una acerra de onice. Unum altare operatum et deauratum quod dicitur Sancti Romani et aliud quadratum et due tabule de ebore in quibus est scripta vita pontificum et i candelabrum de ebore sculptum et paratum argenteum et vq^ue^ magna candelabra quorum i est totum deauratum et iiii^or^. alia de argento que ponuntur ante altare et i magnum candelabrum de cupro deauratum cum vii brachiis, due magne cruces argentee et deaurate et nova crux argentea cum lapidibus deaurata quam fecit fieri Rotrodus Rotomagensis archiepiscopus. Tres cruces parve de cupro deaurate. Pixides et burse xiiii signate cum reliquiis, quorum (*sic*) ix sunt pixides et vq^ue^. burse undecim cassule cum reliquiis quorum iiii^or^. sunt deargentate novem parve cruces et tres meliores argenteæ (1),

(1) Sic transcripsit dominus L. Delisle. Quantumvis insolita sit ista diphthongus in manuscriptis illius ætatis codicibus, non tamen, ut videtur, sine exemplo est. Certe in *Magnis Rotulis Scaccarii Normanniæ* doctissimus Stapleton *Sanctæ* (t. II, p. 385) edidit; quumque de illa scriptura in nostra eorumdem rotulorum editione (vide *Mémoires de la Société des Antiquaires de Normandie*. t. XVI, part. I, p. 39, col. 1, not. 1) aliquid dubitare ausi eramus, hanc nobis annotationem submisit idem L. Delisle, quam totam, ut decet, auctori suo restituimus: « M. Charma croit que le ms. doit porter *sancte*. Rien ne m'empêche de conserver *sanctæ*. La diphthongue *æ* se retrouve encore dans les textes de la fin du XIIe. et du commencement du XIIIe. siècles; seulement le *a* est ordinairement marqué par une cédille placée sous le *e*. Je n'en citerai pas d'autre exemple que le cartulaire de l'Abbaye-aux-Dames, conservé à la Bibl. Nat. sous le n°. 5650 du fonds latin. Tout porte à croire que ce ms. a été écrit à Caen sous les derniers Plantagenêts, c'est-à-dire dans le même lieu et à la même époque que nos rôles de l'Echiquier. » Nec tamen ea de re, fateor, lux satis mihi facta est; et de iis perrarissimis diphthongis (duo aut tres, si bene memini, in duobus Thomæ Stapleton voluminibus occurrunt) rotulorum et præsentis documenti non omnino securum fore me confiteor, donec, quod fiet aliquando, de visu aut aliter rei certiorem me fecerim. A. CH.

cum reliquiis et una aurea parva cum cathena et IIII philacteria II°. oblunga et II°. rotunda. Duo ova de cupro parata argentea deaurata due cupreæ corone aurate cum lapidibus et corona argentea deaurata que dependet super altare. Vas de cristallo cum cathenis argenteis deauratis cum lapidibus. Duo vasa de vitro ad ponendas reliquias. Due buete argenteæ. Duo feretra magna cooparata (1) cupro deaurata et feretrum sancti Romani de auro cum crista argentea deaurata et pilaribus de cupro deaurato que sunt in capitibus cum cristall'. Octo alia feretra quorum frontes anteriores parate sunt cupro deaurata.. et tria feretra mediocra cooparata argento deaurato. Unum cornu eburneum. Scaci de cristallo. Unus crucifixus magnus coopertus argento deaurato et alie due magne cruces a dextris et a sinistris. Unum vas vitreum cum scacis intrusis. Quatuor pomelli de cupro deaurato. Duo vasa vitrea cum basalmo. Bacini Gaufridi decani. III marc. (2) Magnus crucifixus coram populo et due ymagines parate argento. Brachium Sancti Andreæ coopertum argento deaurato cum lapidibus. Cassa beate Marie cooperta argento deaurato. Una cuppa argentea et deaurata et operata cum columba in summo. Unus anulus aureus pretiosus. Tres cifli argentei quorum unus fuit Odonis Monii cum cathenis argenteis et alter Herberti et tercius parvus fuit Stephani filii Radulphi. Costa Sancti Laurencii in eburnea capsula. Pixis argentea ad eucaristiam et alpha et o (3) de cupro. Tres spinulæ aureæ cum lapidibus. Quinque pectines eburnei et una cutella argenti quam dedit dominus Robertus pater decani R. de Novoburgo. Crismatorium domini Rotrodi archiepiscopi intus argenteum. Cornu eburneum in superiori et inferiori parte argento paratum. Duo vascula argentea. Duo vasa argentea ad crisma et oleum et salaria et due acerre argentee que dedit dominus Walterus Lincolnensis episcopus.

Capparum xi albe quarum una est guttata et IIII virides et vII rubeæ quarum una est foerata de erminio. Octo nigre et xIII varii coloris et omnes iste de magna plica sunt xIIII de minori plica.—xIIII. vIII°. meliores cappe quarum IIII sunt brusdate et pallium inperatricis brusdatum. Cappa Helie de Warvihc. Cappa Reinaldi nepoti (*sic*) cantoris. Cappa Luce presbiteri.

Casule xi cum aurifrisio preciose et vi alie quarum unam habet archiepiscopus alteram R. Lexoviensis episcopus. Casula quam dedit ducissa Saxonie cum dalmatica et tunica et alba et amictu. Casula Willelmi Marescalli.

Quatuor stole preciose brusdate cum manipulis brusdatis et duo manipuli preciosi sine stolis et vII alie cum manipulis. Quatuor zone preciose.

Capelli forrati quinque mitre tres dalmetice xvIII quarum una est brusdata et due alie preciose et pallium acotiti. Tunice xxix quarum I est brusdata et vi de novo.

Tres albe de serico et brosdate et xIIII parate sine auro. Item tres parate sine auro que fuerunt Hugonis archiepiscopi. Et xix amictus parati. Albe sine paraturis xIII quarum unam habet Robertus capellanus.
Pallia sine bordatura xII panni serici v et x de novo dati et xi pallia bordata. Vexilla deaurata vi et quinque alia parva.

Hec fuit capella felicis memorie Rotrodi archiepiscopi : crux aurea cum lapidibus cum parva cruce superposita ubi habetur de ligno Domini cum pede argenteo deaurato. Calix aureus preciosus cum patena aurea. Duo magni anuli aurei cum lapidibus preciosis. Textus aureus ewangeliorum. Textus argenteus dearatus (*sic*) epistolarum. Tabula argentea deaurata cum reliquiis. Altare parvum de gagate paratum argenteum. Thuribulum argenteum deauratum. Candelabra argentea deaurata. Ampulle argentee deaurate cum imaginibus. Alie argentee gemelle. Mitra preciosa cum margaritis. Spinule IIII auree cum lapidibus preciosis. Duo vascula cristallina cum balsamo. Pixis eburnea in qua reponatur eucaristia.

Vestes capelle casula rubea de samito. Dalmatica alba pretiosa. Due tunice una rubea altera alba preciosa cum amictu precioso et stola et manipulo preciosis. Due albe parate cum amictibus et stolis et zonis de serico. Balteum preciosum cum duabus zonis sericis una aba (*sic*) altera rubea. Mantile unum paratum aurifrisio. Aliud operatum cum paratura. Tercium de Apulia sine paratura.

Libri capelle sunt isti Benedictionarius. Gradale et troparium. Habet Robertus capellanus.

Duo volumina bibliothece. Tres passionarii. Quinque omeliarii. Breviarium Rad' Longi. Alterum in choro. Et tercium Hug[onis] A'ch' et Borgnet. Septem missalia. Corpus canonum imperfectum. Moralia Job in duobus voluminibus. Passio Sancti Georgii. Augustinus supra Genesim ad litteram liber. Augustinus ad Paulinam. Augustinus retractionum in quaternis. Sinbolum fidei Jeronimi ad Damasum. Mariale. Liber Irenei episcopi. Item sna de libro retractionum Augustini. Parvi canones ewangeliorum. Egeripus. Liber de concordia ewangeliorum. Liber epistolarum Romanorum pontificum pastoral'. Lib'. canonum. Parvi canones. Liber episcopal'. Omeliarius vetus. Liber expositionis super Job. Ewangelium Mathei. Liber Cassiodori de anima. Psalterium cum expositione antiqua. Liber epistolarum Augustini ad Volusianum. Glose super psalteri. Psalt. cum ymnario. Aug. contra Julianum. Psalt. glosat. Liber Isidori de figuris veteris testamenti qui intitulatur de Belbec. Breviarium tocius cantus. Liber Ysidori super Genesin. Helpericus. Gerlandus. Liber conciliorum. Duo libri domini Hugonis Rothomagensis archiepiscopi. Musica Boecii. Vita Sanctorum Ansberti et Audoeni. Vita Sancti Maurilii Andegavensis. Matheus glosatus. Antiphonarius per usum. Smaragdus ante prandium et post prandium. Gradale cum antiphonario per usum. Johannes ewangelista cum apocalipsi. Liber auctoritatum vetustissimus. Orationes per annum in quaternis unius voluminis. Cantica canticorum. Apocalipsis cum prophetis quibusdam. Quatuor troparii et epistole canonice. Duo libri in capitulo. Epistole Pauli in quaternis. Pastoral' cum dialogo. Fretulfus Lexoviensis. Item textus epistolarum Pauli. Quatuor epistolarii. Duo ewangeliarii. Tres benedictionarii. Item epistole et ewangelia in uno volumine.

(1) Dubitare videtur de hoc verbo transcriptor; legerem ex abbreviatione quam indicat (*Coopata* litteram *p* habens linea recta infra trajectam) et præsertim ex etymologiæ certissimis regulis *cooperata*, quod ex præpositione *cum*, *co*, et participio verbi *operari* constat; *cooparata* nullius sermonis foret; si enim ex *parare* et *cum* fingere hoc verbum auctor voluisset, habebat ad manum *comparata*, quo usus fuisset. A. CH.

(2) In imo f°. 52 R°. leguntur hæc verba quæ ad hunc locum, ut reor, faciunt : « Tres m. argenti nominantur ad conficiendos bacines qui non inveniuntur. » L. D.

(3) Forte ω. Miror, si fidelis transcriptio est, hanc litteram *o* sine ullo comitatu (verbi scilicet *mega*) huc venisse. A. CH.

Lectionarius. Sedulus. Stacius Bucol'. Priscianus de Cognominibus. Quedam pars Secundi Donati. Juvenalis. Marcianus. Tres Ovidii.

Collectarium cum institutione religionis Rothomagensis ecclesie.

Libri magistri R. de Antan. Liber regum. Genesis. Exodus. Lucas. Johannes. Matheus et Marcus in uno volumine. Duodecim prophete. Cantica canticorum. Parabole Salomonis in uno volumine. Actus apostolorum. Ysaias quem habet abbas Sancti Georgii. Loco ejus habemus psalterium glosatum.

Libri venerabilis patris nostri Rotrodi Rothomagensis archiepiscopi. Plinius de naturali hystoria. Epistole Jeronimi. Augustinus de civitate Dei. Ysidorus ethimologiarum. Vitruvius. Liber Hugonis archiepiscopi ad Albanensem episcopum. Libellus ejusdem de expositione fidei catholice et orationis dominice.

Medietas bibliothece quam dedit dominus Laurencius archidiaconus et missale domini Walerani.

L. D.

APPENDIX D.

Incipit prologus in vita Sancti Gildardi Rothomagensis archiepiscopi.

Multi ecclesiastice religionis, post ascensionem mediatoris Dei et hominum Jhesu Xpisti, postque perceptam Spiritus Sancti gratiam, plurimorum electorum certamina honesta descripsere scedula. Si ergo beate memorie viri hec iccirco utiliter studuerunt posteris sagaciter notare, quoniam actus sanctorum vel vitas non solum auditu, verum etiam (quod majus est) visu potuerunt cognoscere, et cum scriptum legatur : in memoria eterna erit justus, Xpisti militum gloriam preteritis temporibus, futuris seu presentibus inconveniens est esse opertam. Sicut enim Paulus apostolus crucem dominicam predicat, Judeis quidem scandalum, gentibus autem justitiam, sic vita priorum aliis quidem est odor mortis in mortem ; aliis vero, odor vite in vitam. Insontium siquidem justitia scandalum fit reprobis, dum severitatem virtutum tenent moribus, quam infideles nolunt attrectare actibus. Fit vero mansuetis odor vite in vitam, cum ex conversatione bonorum exemplum salutaris vie fideliter suscipiunt. Quorum mors in conspectu Domini preciosa, qui hujus asperrime et tediosissime peregrinationis valuerunt evadere pericula. Quorum memoria non derelinquetur in secula, qui dominica meruere sequi vestigia. Horum omnium gesta quedam memorie legimus tradita, quedam vel negligentia abolita, vel forte igne cremata, seu (quod nequius est) imperitia predecessorum sunt omissa. Cujus itaque occasionis causa compulsus, vires excedens ingenii, quod non mereor scientia et merito, preveniente me gratia Spiritus Sancti, aggredior et volo ; quodque imperitus devotissime decerno scribere, non meo sensui vel ingenio, sed omnipotenti Deo committo, a quo fons hauritur sapientie, a quo fidelibus thesaurus propinatur prudentie. Sed hec eadem sententia per quendam sapientem dicitur : Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante evum. In illo nempe gloriari me oportet, a quo mihi est protinus prestandum quod erit perspicue enarrandum. Nam si in aliquo inani glorie consentirem, verbis apostoli contrairem. Quid habes, inquit, quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ? Non vero glorians in seculari scientia, sed potius fretus Spiritus Sancti presentia, optabile illud prophete oraculum cupio suscipere, quod divina quondam percepit voce : Aperi os tuum et ego adimplebo illud. Aperiat ergo os meum et impleat dono veridice eloquentie, qui os mutorum aperuit et linguas infantium disertas fecit. Et quoniam non didici, auditu comperi. Ad laudem et gloriam nominis sui det michi Dominus digne perficere hujus cepti narrationem operis.

Explicit prologus. — Incipit vita beati Gildardi qui recolitur eodem die (vi°. idus junii.)

Vita beati et venerabilis patroni nostri sancte sedis Rothomagensis ecclesie archiepiscopi Gildardi antiquorum incuria hactenus latuit postposita ; quam, annuente Dei misericordia, exordiar posterorum pro posse tradere notitie. Cujus vite virtutes licet nequeam fideli specialiter sicut vellem stilo declarare, tamen dubium non est quod non ceteris Dei electis generalis extiterit, cum quibus etiam sortitus est premia regni celestis. Temporibus igitur Lodovei regis Francorum, cum adhuc gens regni ipsius cum suo principe deserviret cultibus ydolorum, ac nesciret penitus Xpistiane religionis ritum, in pago Noviomomensium erat quidam nomine Nectardus nobilis genere, prediorum copia refertus, multimoda quoque divitiarum ope opulentus. Hic ergo venerabilis vir cum esset inter primos clarus, uxorem sortitur Romanam nomine Protagiam, suis natalibus satis dignam. Que cum esset Xpistiana, ac Xpistianis parentibus orta, talem hortata est predictum sponsum Xpistianitatis scilicet adispici tytulum. Itaque impletus est sermo apostoli dicentis : salvabitur vir infidelis per mulierem fidelem. Tum siquidem in divino conversantes obsequio, probis moribus proprios decorabant animos. Insistebant enim assidue servituti divine, recreare scilicet egenos, vestire nudos, et per omnia quoscumque poterant relevare oppressos. Sic quoque sibi sociebantur, ut sermo in eis apostolicus impleretur, qui matrimonio utuntur, hoc mundo tanquam non utantur. Possidebant denique plurima, sed [magis] alterius utilitati quam usibus suis. Et quia tanti meriti tanteque sanctitatis, dignum quoque parentibus justis similes procrearentur liberi. Enim vero dicamus, venerabilis Elisabeth Zachariequo exemplo : erant ambo justi ante Deum incedentes in mandatis et justificationibus Domini sine macula. Unde accidit ut talibus parentibus instaret divinitus generandi filios tempus. Erat namque eorum partus Sancte Dei ecclesie profuturus. Qui potius gignendo parvulos placuerunt Deo, quam si steriles perman-

sissent sine filio. Dantur de cetero illis a Deo filii pariter concepti, pariterque gemini nati, sed divina providentia seculo proficui. Quibus sacrosancto baptismatis fonte ablutis nomina imposuerunt Xpistianitatis : unum quidem Medardum, alterum vero Gildardum vocaverunt. Hi ergo admirabilis innocentie pueri a parentibus Deo sunt sacrati, et in quodam (ut fertur) monasterio in honore beati prothomartyris Stephani, quod nuper erat constructum a quibusdam Xpistianis in confinio parrochie Suessonice civitatis tonsorati, et divine militie mancipati. Vocatur quippe iste locus Cauciacus, in quo etiam adhuc forcipes pro magno habentur, quibus sanctorum capilli testantur precisi. Cujus incole vici, exceptis paucis fidelibus nostre fidei, delubra sequebantur demoniorum.

Eo tempore in palatio regis primus habebatur Remedius, qui nunc est nobis Remigius, magne virtutis juvenis, vir sagax, in omnibus Deo clarus, occulte tamen Xpistianus. Interea memorati pueri ad virilem perveniunt etatem, tantum Deo digni quantum bonis operibus clari. Qui comperta beati Remedii fama, in omnibus ei adherebant, et quia viri erant palatini et ex latere regis, imbuti quoque divinitus liberalibus disciplinis, glorioso principi suadebant sepius sacrilege cultum respuere superstitionis, sicque factum est ut in eis impleretur illud David vaticinium : cum sacro sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et cum perverso perverteris.

Erant hec igitur tria mundi luminaria velut ante Deum ardens lucerna, eo quod diutius abscondi non poterat sub modio candela, non longe post candelabro superponenda. His crebro cum rege Lodoveo ratiocinantibus, et de futura vita perceptione [que] regni celestis philosophantibus, vera quoque assertione que sint superne patrię declarantibus, patienter idem princeps aurem prebebat divinis persuasionibus. Tandem tactus Spiritu Sancto intrinsecus, non solum monitis salutaribus consensit, sed etiam tyrocinium Xpistiane militie suscepit, ac non multo post defuncto Remorum archiepiscopo, clamore populi et providentia Dei Remedius in cathedra pontificali levatur presul.

Qua tempestate accidit etiam Veromandensium pontificem obisse et Rothomagensem archipresulem hominem exuisse. In quorum parrochia et favore vulgi et auctoritate regis, divinique testimonio oraculi, due ecclesie statuuntur columpne : Medardus Veromandensium, Gildardus Rothomagensium sedis consecrantur episcopi. Beatus itaque Remedius, qui et Remigius, non destitit cum beatissimo Medardo ceptum fidei Christiane iter regi propalare, donec quirent sepedictum principem sacri fonte baptismatis perfondere. Quod et factum est. Nam in civitate Remorum venientes, in basilicam Sancti Petri, que nunc dicitur Ad Palacium, missas celebraverunt, et ea que ei congruebant agentes, beatus Remedius regem baptizavit et de sacro fonte beatus Medardus suscepit. Persuasus denique patris benivolentia ac devotione regia, nobilissimus filius Lotharius ejusdem fidei suscepit sacramentum, et sue acceptionis sanctissimum patrem habere promeruit Medardum. Cujus siquidem qualis re innocentie, sanctitatis, patientie ac virtutis beatus extiterit Medardus, Fortunatus Ravennas presbiter luculento sermone describit. Que quia non sunt nostro operi inserenda, videntur nobis ad presens reticenda. Talibus ergo rite intermissis et, ut reor, quibusdam necessario nostro operi insertis, ad id vertatur stylus a quo cepit narrationis modus.

De cetero beatissimi Gildardi vita qualis fuerit in pueritia, prout spiraverit Spiritus Sancti gratia, nostro patebit studio declaranda. Cum igitur esset in domo parentum, secundum redemptoris nostri exemplum, ipsis eum parentibus suis certum est per omnia fuisse subditum. Ab ipsis enim infantie rudimentis Deo cepit devotus effici, liberalibusque studiis institui. Parabatur ei loquendi efficatia, cum esset post futurus pontifex altissimi providentia. Erat nempe inter majores ut servus, inter domesticos humilis, inter inquilinos ut socius. Quis illius non miraretur benivolentiam, laudaret abstinentiam, complecteretur patientiam? Quis illum in semitis prospexit, ut ceteros, ludentem, in domo aliquem exasperantem ? Quis non miraretur ipsius studium, erga Dei omnipotentis cultum ? Nam domum fugiens parentum, pro posse, ubi aptum invenisset locum, ad templorum oracula discurrebat. Panem quem sibi in usum accipiebat, si quem invenisset egenum, ipse esuriens esurienti porrigebat. Si quem etiam forte reperisset nudum, porrigendo vestem qua tegebatur nudus revertebatur domum, cogitans illud dominicum : nudus eram, et cooperuisti me. Hec parentes interim prospicientes tacite considerabant animo quid esset eventurum puero. Et cum essent unanimes in bono, gratulabantur de beneficiis Domini que fiebant in puero. Qui cum in adolescentie pervenisset etatem, qua incipiunt homines ingredi vias hujus seculi, ita se totum dominico commisit arbitrio, ac si jam totus esset exemptus seculo. Non enim continuo adquievit carni et sanguini, sed, ut emeritus Xpisti miles, viciorum devicit incendia ignis flamma celestis, ut in eo miraretur divine virtutis potentia. Assiduis enim jejuniis affligebatur, crebris insistebat vigiliis. Continuabat dies et noctes in meditationibus sacris, excepto quidem quod interdum humanitatem exhibebat corpori, de cetero totum vite sue exercebat aut lectione aut oratione. Qui etiam cum hanc quam notavi transcendisset, ac in juvenilem excrevisset etatem, duplicato quodam modo bone voluntatis negocio, in maximum dominicum ferebatur talentum. Nam ut corporis emolumentum, ita in Deo vite duplicabatur meritum. Omnium nempe utilitatem ita per omnia providebat, ut cum beato Job dicere valeret : Oculus fui ceco et pes claudo; pater eram pauperum, et cor vidue consolatus sum; et illud : Si comedi buccellam solus, et non comedit ex ea pusillus ? Item : Causam quam ignorabam, diligentissime investigabam. Investigabat siquidem veteris legis instituta, prophetarum oracula, evangelistarum mysteria, et sic copulabat in gemina, in sancta professione testamenti cognoscebat denique in antiquis adventus mysteria dominici; in evangelii dictis, promisse protectionem gratie, ut memoriter dicere posset : Lex per Moysem data est, gratia et veritas per Jhsum Xpistum facta est, qui lapis effectus angularis fecit utraque unum. Cujus ineffabilibus beneficiis dum pontificalem adeptus fuisset cathedram, in ipsa benedictione jocundissimam vocem promeruit benignissimi remuneratoris : Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constitutam, intra in gaudium Domini tui. Sublimatus ergo sacerdotali officio, non deficiebat a deifice servitutis obsequio. Cogitabat enim illud Spiritus Sancti preceptum : Gratis accepistis, gratis date. Parebat vero omnibus benivolus, alacris vultus, atque animi qualitate gratus. Imitabatur preterea in factis suis papam Silvestrum, et cum eo jugiter se apostolicis viris sociabat. Nitebat angelicus vultu, sermone facundus, erga subjectos mansuetus. Ipsum divites venerabantur ut dominum, mediocres vinclebant ut amicum, egenorum prospicientem subsidium. Colloquebatur cum paganis quibus illa semper affluxit civitas, ita quoque ut satis superque execraretur eorum superstitiones, et quam plures illorum ad nostre sacramentum fidei tam familiaritate et amicitia quam caritate maxima provocaret. Instabat illi omnimodo cura captivos redimere,

et patrie quemque illesum restituere. Infirmorum nomina quorumcunque ad cujus potuerunt attingere notitiam, nequiverunt a sui cordis recedere memoria. Nam ita ipsorum imbecillitati curam inferebat, ut nichil eis deesse posset eorumque vir Domini videretur habere. Quid plura? Juxta vocem Pauli, omnibus omnia factus est, ut omnes lucri faceret. Tandem inter cetera bonorum ipsius actuum insignia nequimus secretioris vite illius reticere patrocinia. Nam tantam ab omnipotenti Deo adeptus est gratiam, quod, nisi alicujus incommodi occupatus esset causa, a die consecrationis sue nullius diei transegit cursum, in quo corporis et sanguinis Domini non celebrasset sacramentum, memorans jugiter illud evangelicum: Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et iterum: Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo. His idcirco sacramentis dignus erat, quoniam manus illius mundiciam possidebat, nec inventus est dolus in ore ejus.

Digne enim meruit accipere benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo, quoniam extitit querentium Dominum generatio ejus, querentium faciem Dei Jacob. Hic non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo, quoniam dextera Dei protexit eum, et introduxit eum in montem virtutum. Laboravit in vinea Domini sui, unde et retulit fructum temporibus suis. Invenit eum Xpristus Dominus vigilantem cum servis suis, ideo constituit eum super familiam suam, ut det illis mensuram tritici tempore congruenti. Justum denique fuerat Dei famulum tali remuneratione donari, cujus tamen in bonam cadens terram, attulit fructum aliud tricesimum atque aliud centesimum. Ideo coronatus est corona justicie, quam reddere ei voluit Dominus in retributionis die justus judex.

Tempore quo Hildebertus optime et secundum Dei timorem sanctionem que priorum regum Francorum regni regebat habenas, beatus Possessor Constantie civitatis episcopus multorum miraculorum signis effulgens multos in fide sacra exemplo et opere roboravit, proprieque dyocesis peragrans loca oves sibi commissas a jaculis infestantis inimici, qui, ut leo rugiens, circuit querens quem devoret, pervigili corde ac instanti tutela omnipotentis Dei clementia sagaciter eripuit, ac famulatum Xpisti efficaciter mancipavit. Flexuosos insuper antiqui hostis spiculos evidenter effugere per arma justitie docuit. Qui beatus Possessor multorum annorum curriculis Domino militans, tandem provectus etate, certus de remuneratione, adveniente exitus sui die, tricesimo quinto episcopatus anno, mortem subiit temporalem, et perpetuam invenit requiem. Tunc traditum est ejus beatissimum corpus sepulture. Inito preterea consilio pro regali assertione et procerum opitulamine, Hildebertum inclitum regem Francorum omnis clerus beatissimi principis antistitis petiit, unanimiter proclamans in hac voce: Tuam, inclite rex, petimus pietatem obnixe, quo nobis dudum pastore orbatis tuam ne differas clementiam conferre. Oramus enim ut laudum meritorum copia rutilantem, quem scimus a Deo nobis datum esse, tua procerumque tuorum electione mereamur pastorem habere. Tunc rex inclitus tali petitione pulsatus, procerum episcoporumque unanimi voluntate quod petit jubet impleri ecclesiastica sanctione. Siquidem eo tempore antistes preclarus et meritis magnus, beatus scilicet Gildardus Sancte Rothomagensis ecclesie civitati preerat pontifex, cujus benedictionis munere eum oportebat sublimari pontificali in apice. Tunc isdem memoratus sacerdos Christi simul et pontifex pro re fata regis accitus est in curia, ut eum scilicet roboraret in ordine pontificali benedictione sua. Quod audiens antistes, ac juvenilem in eo cernens etatem (erat enim annorum duodecim), nec tamen mente intuens meritorum magnitudinem, ad sacros quidem ordines promoveri disposuit, episcopatus autem ad apicem eum promovendum indignum et nimium rudem est arbitratus. Denique cum hujus rei anxietate estuaret, et semel sopori dedisset, adest angelus nimia claritate prefulgidus, eumque tali affamine est affatus: Gildarde, inquiens, beate pastor, vas electionis, ac rector ecclesie, ne existas ultra istius de merito anxius, quoniam patefecit eum Deus Constancie urbis populo. Quapropter ne pigriteris eum tua insigniri benedictione, quoniam multa beneficia per illius merita ostensurus est Dominus in civitate memorata. Expergefactus autem idem pontifex, divina animatus inspiratione, eum benedixit episcopali more. O virum omnifaria laude dignissimum! O virum pacificum, cujus oculi et manus in celum semper aspiciebant! Vere beatus et Gildardus, qui creberrime vultus angelorum prospicere meruit, eorumque eloquio perfrui.

Beatissimus pontifex Gildardus, valde jam senio confectus, cum quindecim annorum spacio in episcopatu militasset, ac tempus resolutionis sue instaret, nunquam a Dei opere cessabat, et, invalescente egritudinis incommodo, acrius cepit fatigari. Quod audiens populus civitatis, egre nimium ferebat futuram absentiam pastoris. Quos benignissimus pastor mansuetissime consolans, et Deo omnipotenti committens, atque ea que Dei sunt peragens, sacramentum quoque corporis et sanguinis Domini devotissime percipiens, inter discipulorum manus hominem exuens, illi reddidit spiritum in celo, cui famulatum devote exhibuit in mundo.

Fertur autem eadem hora atque eodem momento animam reddidisse Deo, quo beatissimus Medardus, germanus ejus, Veromandensium episcopus obisse cognoscitur qui sic pariter ex hoc seculo migraverunt, quemadmodum, nascendo a matris utero, hanc fragilem vitam ingressi sunt, ac una eadem que die in pontificatus honore elevati et consecrati sunt. In cujus sepedicti pontificis transitu, non incredibile est eadem signa apparuisse, et sine dubio ab astantibus visa fuisse que et in venerabilis Medardi fratris ejusdem obitu Dominus voluit manifestare. Sunt igitur enarranda, ut remur, ac plane in laude virorum Dei repetenda. Ait enim Fortunatus: Sanctus Medardus quando accepit corporis transitum, ipsius hore momento celi aperti sunt et ante Sancti corpusculum divina luminaria, cunctis videntibus, micuerunt, moxque in terra grande fluxit diluvium ita ut multum plueret aqua calida de nubilo. — Item in subsequentibus: Cum sancta membra Beati Medardi tumulo clauderentur, celum apertum est, et due columbe vise sunt descendisse quasi nubes, et de ore ejus egressa est columba candida sicut nix. — Et iterum sapiens Gregorius Turonensis eorumdem Sanctorum nativitatis, consecrationis atque obitus sanctissimi ita intonat pulcherrima antiphona (1). Avete, magni toto orbe presules, ortu gemelli, sanctitate compares, sacrati simul, coronati pariter, juncti dicastis diem festum meritis. Sancte Gildarde, cum Gildardo inclito pontifice, opem poscenti semper ferte populo. — Item omni laude dignissimus, et episcoporum episcopus sancte Rothomagensis ecclesie Audoenus dulci modulamine metri infit:

(1) Gregorio Turonensi recentiorem denotare scriptorem videntur ineptæ, quæ hanc in antiphonam irrepserunt, fabellæ.

Corpore Gildardus, etc. (1).

Item Fortunatus Pictavensis ecclesie episcopus (2).

Sanctum Medardum presulem
Fratremque clarum antistitem
Solennibus preconiis
Canamus et melodiis.
Ambo gemini parentibus
Fulsere digni laudibus,
Simulque Christi munere
Sumpsere palmam glorie.
Quos carnis germanitas,
Sic vera junxit charitas,
Fidesque fecit celibes,
Totius orbis nobiles.
Hunc (sic) in superna curia
Decora splendent lumina,
Stolisque fulgent candidis,
Videndo regem luminis.
Precum suarum numine
Nos eruant a crimine,
Et post ruinam seculi
Poscant coronam premii.
Summo Deo sit gloria,
In seculorum secula,
Per quem ministri celice

Nobis coronant glorie.

Item Fortunatus:

Pastor Medardus inclitus
Gildardus et dux previus,
Ut bina luminaria,
Dei nitent in gloria.
Ii sunt beati principes
Et gloriosi presules,
Qui plebis actus excolunt,
Et vota celis inferunt,
Quorum potestas eminet
Et vim per omnes obtinet,
Ut vite solvant credulos,
Verboque nectant perfidos,
Hac lege data celitus,
Opem ferant poscentibus
Et hic solutos corpore
Donent beate vivere,
Prestet paterna claritas,
Natique compar unitas,
Et spiritus paraclitus
Christi datus fidelibus. Amen.

Petimus ergo ut illius meritis obtineamus veniam totius nostri criminis, qui sanctarum fretus virtutum incrementis meruit placere conspectibus eterni regis, et cujus pro modulo nostre parvitatis memoriam fecimus in terris pro peccatis nostris intercessorem et patronum habere mereamur in terris prestante gratia Xpristi redemptoris sepultus est. Igitur sanctissimus Gildardus in quadam basilica Sancte Marie que nunc dicitur ad Sanctum Gildardum, ibique multo tempore jacuit. In quo etiam loco multa et innumerabilia miracula fecit Xpistus dominus noster ad laudem et gloriam nominis sui qui cum patre et spiritu sancto vivit, dominatur et regnat in eterna secula, amen.

(Explicit vita Beati Gildardi Rothomagensis, ex antiquo Bibliothecæ Nationalis ms. codice, inter latinos 5296 signato, descripta.) L. D.

(2) Vid. supra, p. 1. Cf. varias lectiones ad *Novorum Norm. Chron.* calcem subjectas. Adeas quoque Sanctorum vitas a Surio collectas, ad VIII junii diem.

(3) Stricta quidem oratione Medardi virtutes celebravit Vincentius Fortunatus, ipsamque predicti Noviomensis episcopi a Venantio metrice contextam inter *Acta Sanctorum Junii*, t. II, p. 78, edidit Daniel Papebrochius; sed manifesto admodum errore carmen utrumque subsequens ipsi adscribitur Fortunato, quippe qui ea floruit etate, qua Medardus nondum Gildardi frater reputabatur, de quo legenda sunt, quæ, ut fabellarum de Gildardo traditarum falsitas revinceretur, acutissime disseruit laudatus D. Papebrochius.

APPENDIX E.

Hic apponam excerptiunculas et annotatiunculas quas dum cedulam Ardenæ interpretabar, obiter de societatibus quæ *Sodalitates*, *charitates*, *fratriæ*, *confratriæ* dicebantur, obiter collegeram. Ne longum faciam, illas verno sermone scriptas, quales sunt, transcribo.

I. « Les Réchabites, les Pharisiens, les Esséniens et les Sadducéens étaient autant de confrairies différentes chez les Juifs. Les Egyptiens établirent une confrairie de flagellants en l'honneur de leur dieu Sérapis. Lycurgue distribua tous les Lacédémoniens en plusieurs confrairies, qu'il nomma φιλιτια, de l'union et de l'amitié qu'ils avaient entr'eux.... Les Perses ont eu leurs mages, les Indiens leurs gymnosophistes, les Gaulois leurs druides, Romulus institua la confrairie des douze Arvales et celle des Lupercales.... Plus tard on eut les Augustales, les Flaviales, les Aurelianes, les Antoniennes. Delamare, *Traité de la police*, 4 vol. in-f°. Paris 1722, 2e édit. t. I, p. 402, liv. II, titre XIII, ch. 1er. ».... L'auteur compte neuf espèces de confrairies. A l'article des confrairies religieuses il en rappelle une établie sous Louis-le-Jeune, en 1168, à Paris; elle se composait de 36 prêtres et d'un égal nombre de notables bourgeois, en mémoire des 72 disciples de Notre Seigneur; en 1224, on y admit les femmes, au nombre de 51; la reine en faisait partie; la confrairie célébrait tous les jours le service divin; des processions générales avaient lieu à certaines époques de l'année; de fréquentes aumônes étaient distribuées; enfin les membres de l'association unissaient leurs prières, afin d'appeler sur eux les bénédictions du ciel pendant leur vie, et de se procurer l'éternité bienheureuse après leur mort. Delamare indique encore quelques autres associations ayant pour mission, celle-ci, de soigner les malades; celle-là, de secourir les pauvres honteux. Les confrères de la mort se chargeaient d'ensevelir les trépassés. Il y avait encore des confrairies de pèlerins; on y admettait toutes les personnes pieuses, qui, sans avoir elles-mêmes visité les saints lieux, désiraient participer aux mérites de ceux qui avaient eu ce bonheur. En 1402, la confrairie dite de la passion se constitue à Paris pour représenter en public, sur le théâtre, le mystère dont elle prit le nom. — Dans tout le chapitre, pas un mot des confrairies qui se proposaient pour objet la construction ou la réparation des églises.

II. Le *Dictionnaire* de Trévoux ne donne rien de plus sur la question que Delamare, qu'il se contente d'abréger.

III. Il existe un petit livre intitulé : *Histoire des miracles qui se sont faits par l'entremise de la sainte Vierge, dans la première restauration de l'abbaye de St.-Pierre sur-Dive, environ l'an* 1140, *tirée d'un ancien manuscrit latin de Haymon, abbé de la même abbaye*, traduite en français par le R. D. Bernard Planchette, religieux bénédictin de la congrégation de St.-Maur; Caen, Poisson-le-Jeune, 1674. Ce livre, long-temps égaré a été récemment retrouvé par M. Legrand, maire de St.-Pierre-sur-Dive, dans l'échoppe d'un savetier. M. le comte de Beaurepaire de Louvagny en a eu communication, et il lui a consacré un article dans la *Revue de Rouen*, février 1850, n°. 2, p. 57 et suiv., d'où j'extrais ces quelques lignes : « Haymon, huitième abbé de St.-Pierre sur-Dive, croyant n'écrire qu'à ses frères d'Angleterre, a révelé à la postérité la formation, le zèle et les travaux de ces pieuses associations du moyen-âge, dont l'une relevait pompeusement sa basilique, comme une autre venait d'ériger la grande cathédrale de Chartres, autre sanctuaire de la Reine des Anges. Ce précieux fragment, si fréquemment cité par les archéologues chrétiens, suffit pour rappeler à notre mémoire et faire en quelque sorte se mouvoir sous nos yeux ces innombrables attelées de fidèles de toutes les conditions, de tout âge et tout sexe, qui venaient dans une silencieuse allégresse et par milliers traîner, sur des chariots, les matériaux de l'édifice, et qui, pour se reposer d'un joug qu'elles avaient joyeusement porté, passaient la nuit autour des murs naissants, à faire brûler des cierges, à chanter des cantiques et à pratiquer des œuvres saintes. » Nous n'avons qu'un fragment du livre original de l'abbé Haymon, que Mabillon a publié dans les *Annales ordinis Sancti Benedicti*, t. VI; le célèbre éditeur avait promis le reste; mais il ne l'a pas donné. Dom Martène, dans l'appendice qu'il ajoute au livre de Mabillon, n'a pas non plus donné suite à la promesse de l'auteur; et plus tard Dom Brial chercha vainement (Voyez le *Recueil des historiens des Gaules et de la France*, préface de l'un des volumes ayant trait au XI°. siècle) le précieux manuscrit qui paraît à jamais perdu. Il serait donc fort utile de donner, à défaut du texte, une édition nouvelle de la traduction de Dom Planchette, et nous prions M. de Beaurepaire de ne pas perdre de vue la bonne idée qu'il a eue à ce sujet.

IV. M. Couppey, dans un article sur l'*Histoire du département de la Manche*, inséré dans l'*Annuaire* de ce département, ann. 1842, p. 228 et suiv., a écrit sur la même question trois ou quatre pages auxquelles nous ferons aussi quelques emprunts : « En lisant, dit le savant auteur, la chronique de Robert de Thorigny, nous avons remarqué, sous l'année 1144, le récit suivant que nous traduisons littéralement : « Cette année, les tours de l'église de Char- « tres furent construites par des gens qui se vouaient « à traîner eux-mêmes les matériaux tels que le bois « et les pierres, ainsi que leurs provisions alimen- « taires, s'attachant eux-mêmes aux chariots. Il faut « avoir vu ce spectacle pour y croire et on n'en re- « verra peut-être jamais de pareil. Ce dévouement se « propagea dans la Normandie, ainsi que dans le « royaume de France et autres lieux. Partout ré- « gnaient l'humilité, la pénitence, l'oubli des offenses, « la contrition et le deuil; on vit des hommes et des « femmes, attachés comme des animaux et recevant « comme eux des coups de fouet, traîner des char- « rettes chargées, souvent à travers des routes diffi- « ciles et de profonds marécages, au milieu d'un « silence qui n'était interrompu que par des chants « joyeux en l'honneur de Dieu, dont de fréquents « miracles signalaient la présence »...... Une condition indispensable pour être admis [dans ces confréries], était de s'être confessé, d'avoir reçu l'absolution et d'avoir renoncé à toute inimitié, à tout projet de vengeance.... La confrérie élisait, à la pluralité des suffrages, un chef qui, une fois reconnu, exerçait une autorité sans contrôle..... Tous les travaux s'exécutaient sans l'assistance d'aucuns animaux... Il était interdit de recevoir aucun salaire, mais seulement la nourriture et le vêtement.... »

V. Dans une lettre en date du 15 septembre 1849, que m'adressait de Valognes mon jeune et savant ami, M. Léopold Delisle, je lis : « Parfois les fidèles qui contribuaient aux travaux d'une église s'organisaient en confrérie. Si mes souvenirs ne me trompent point, il y a dans le *Livre noir* du chapitre de Bayeux une ou deux pièces relatives à une confrérie qui se forma au XII°. siècle, dans le diocèse de Bayeux, pour la reconstruction d'une partie de la cathédrale. On conserve aux Archives de la Seine-Inférieure, dans le fonds de Fécamp, l'original d'une lettre de Guillaume, archevêque de Sens, en faveur de la confrérie de l'église St.-Georges de Mantes. En voici un extrait : « Omnibus qui ejusdem ecclesie confratres « fuerint et ei beneficia sua contulerint nos de Dei « misericordia et gloriose Virginis Marie necnon et « preciosi prothomartyris Stephani meritis confisi « xx^{ti}. dies de injuncta sibi penitentia misericorditer « relaxamus statuentes per episcopatum Carnotensem « ut cum aliquis confratrum ipsius ecclesie obierit « humanam sepulturam non amittet nisi forte no- « minatim excommunicatus fuerit vel nisi terram in « qua manserit propter dampna majoris ecclesie « Carnotensis interdicto subici contigerit. »

VI. On attribue à saint Bonaventure une institution de ce genre : « Romæ instituit, dit son biographe (Petrus Galesinius protonotarius apostolicus, *Historia seraphica vitæ Sancti Bonaventuræ*, c. IX, n°. 7) præclaram societatem quam confraternitatem Confalonis vocant, cui certam orandi prædicandique normam præscripsit, ob venerationem beatissimæ Mariæ Virginis, Dei genitricis ». Sur quoi l'éditeur de cette pièce, Henricus Sedulius minorita, fait cette note : « Origines sodalitiorum sive confraternitatum si videre lubet, adi cap. 20 meæ Divæ Mosæ-Trajecten.. » Nous savons en effet que Sedulius a écrit une *Historia Beatæ Virginis vulgo dictæ Mosæ-Trajectinæ*, c'est-à-dire une histoire de la sainte Vierge adorée dans la ville appelée *Trajectum ad Mosam*, aujourd'hui *Maestricht*; mais nous ne pouvons qu'en indiquer le titre à nos lecteurs. — Ce serait même, s'il en faut croire Sedulius (*Commentarius ad vitam S. Claræ*, cap. II), cette institution de S. Bonaventure qui serait l'origine et le premier modèle des innombrables confréries où les laïques étaient admis.—On connaît la confrérie du St.-Rosaire établie un peu auparavant par S. Dominique. Voy. ap. *Annales ordinis fratrum prædicatorum*, t. I, p. 316 et seqq.; et le R. P. Lacordaire, *Vie de saint Dominique*, 3°. édit., p. 331 et suiv., etc., etc., etc.

VII. Signalons encore l'*Histoire des anciennes corporations d'arts et métiers et des confréries religieuses de la capitale de la Normandie*, par Ch. Ouin-Lacroix, docteur en théologie de l'université de Rome, auteur de l'Histoire de St.-Maclou de Rouen, un vol. in-8°. Rouen 1850. Les chapitres XXIV, XXV, XXVI, XXVII, XXVIII et XXIX contiennent, sur les associations religieuses au moyen-âge, de curieux détails. L'un des documents les plus intéressants que nous y ayons remarqué, ce sont, au ch. XVI, p. 430 et suiv., les statuts des confréries du saint Sacrement, de la Vierge et de saint Godard, réunies sous une administration commune, en 1635, par décision de Hugues, archevêque de Rouen, sur une supplique présentée par les membres de ces différentes compagnies. A. CH.

INDEX CHRONOLOGICUS

PRÆCIPUARUM RERUM QUÆ IN NORMANNIÆ NOVIS CHRONICIS CONTINENTUR.

FINIS.